AN. LXXIX SERIES VII FASC. III AN. 1954

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concili

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., O. P. S. C. S. Officii — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — MAURO A., Add. Secr. Status — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Subpromot. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C[i] — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N, 4. TEL. 63.931

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 15 - IX - 1954.

† Blasius Musto
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

PIUS PP. XII. *Littera Encyclica* ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum ordinarios, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: *De Sacra Virginitate.* . . . . . Pag. 351
— *Littera Apostolica* ordinis fratrum minorum constitutiones approbantur et confirmatur. (Adn. LEDWOLORZ, A.). . . . » 379

ACTA OFFICIORUM

Segreteria di Stato.

Statuto della Fondazione Pio XII per l'apostolato dei Laici. (Adn. DESKUR, A. M.) . . . . . » 389

JURISPRUDENTIA SACRAE ROMANAE ROTAE

Sacra Romana Rota.

Coram R. P. D. PERICLE FELICI, *Ponente.* FULDEN. *Nullitatis Matrimonii.* In Jure. . . . . » 399
Coram R. P. D. JOANNE M. PINNA, *Ponente.* S. ANDREAE ET EDIMBURGEN. *Nullitatis Matrimonii.* Ouerelae nullitatis sententiae . » 402

STUDIA ET CONSULTATIONES

STICKLER, A. M. De primatu romano historia collectionum jur. can. illustrato . . . . . » 409
OESTERLE, G. De coadiutoribus canonicorum . . . . . » 426
OESTERLE, G. De incorporatione monasteriorum monialum . . » 435
HERING, HYA. Estne « amplexus reservatus » intrinsece malus? . » 455
STAFFA, D. Consultatio de accusatione matrimonii . . . . » 479
CANZONERI, E. Utrum clerici et religiosi prohibeantur quominus « Totocalcio » ludant . . . . . » 481

JUS ECCLESIASTICUM

Repubblica Domenicana.

Inter Sanctam Sedem et Rempublicam Dominicianam sollemnes conventiones . . . . . » 497

RECENSIONES

HOPS, D. *Storia della Chiesa del Cristo:* Vol. I° e II°. (CARPINO, F.) Pag. 525
GEMELLI, A. *La psicanalisi, oggi.* (CARPINO, F.) . . . . . » 525
MAZZACANE, E. *La Litis contestantio nel processo civile canonico.* (BARTOCCETTI, V.) . . . . . » 526
MAZZACANE, E. *La separazione personale dei coniugi in pendenza dei procedimenti canonici di nullità e di dispensa.* (BARTOCCETTI, V.) » 528
KOSTELECKY, A. *Die Rechtsbeziehungen swischen den Seelsorgen und dem Kapitel am Wierner Dom.* (R. F.) . . . . . » 529
ATTAL, F. S. *Frate Elia da Cortona Compagno di S. Francesco.* (PAPA, I.) . . . . . » 532
GIROTTO, S. *Corrado di Sassonia Predicatore e Mariologo del sec. XVII.* (PAPA, I.) . . . . . » 533

DOCUMENTA

Il Sommo Pontefice indica le vie di luce sicurezza universale carità per il mondo con l'augurio di pace del Redentore alla Chiesa e all'umana famiglia . . . . . » 537
Pii PP. XII. ALLOCUTIONES: Sacerdotibus qui Romae Conventui de aptiore Catecheseos institutione adfuerunt, atque iuvenibus qui de christiana doctrina certamen « Veritas » nuncupatum, viceruntt, a Consilio Italico pro Catechesi indictum . . . . » 539
— Iis qui XVI° Conventui Officii Internationalis inquisitionis de medicina inter milites exercenda interfuerunt . . . . » 543

CHRONICA

Acta Pii PP. XII. - Acta SS. Congregationum. (MAURO, A.) . . » 553
Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS



Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1954_79_3

ACTA PII PP. XII

LITTERAE ENCYCLICAE

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES : DE SACRA VIRGINITATE.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Sacra virginitas et perfecta illa castitas, quae divino est consecrata famulatui, in pretiosissimis procul dubio annumerantur thesauris, quos Ecclesiae Auctor ab se conditae societati quasi hereditate reliquit.

Hoc profecto in causa fuit cur Sancti Patres asseverarent virginitatem perpetuam excelsum esse munus a christiana religione invectum. Ac iure meritoque animadvertunt antiquitatis ethnicos Vestalibus hanc morum condicionem non nisi ad certum imperavisse tempus [1]; et cum in Vetere Testamento virginitas servanda ac tuenda praecipiatur, id iuberi tantum ut praevium matrimonii postulatum [2]; ac praeterea — quod scribit Ambrosius [3] — « etiam templo Hierosolymis fuisse legimus virgines. Sed quid dicit Apostolus? « Haec autem omnia in figura contingebant illis » [4], ut essent indicia futurorum ».

Siquidem inde ab Apostolorum aetate haec virtus in Ecclesiae viridario viget ac florescit. Quod in *Apostolorum Actis* [5] scribitur quattuor Philippi diaconi filias fuisse virgines, id profecto potius quam iuventutem, earum significat vitae statum. Ac non multum post temporis spatium Ignatius Antiochenus virgines salutando com-

---

[1] Cfr. S Ambros., *De virginibus*, lib. I, c. 4, n. 15; *De Virginitate*, c. 3, n. 13 *P. L.* XVI, 193, 269.

[2] Cfr. *Ex.* XXII, 16-17; *Deut.* XXII, 23-29; *Eccli.* XLII, 9.

[3] S. Ambros., *De virginibus*, lib. 1, c. 3. n. 12; *P. L.* XVI, 192.

[4] *1. Cor.* X, 11.

[5] *Act.* XXI, 9,

memorat [6], quae iam, una cum viduis, Smyrnensis christianorum communitatis haud mediocris pars erant. Secundo autem saeculo — ut S. Iustinus testatur — « multi quidem et multae, annos sexaginta et septuaginta nati, a pueris Christi disciplina imbuti, incorrupti perseverant » [7] Pedetemptim, virorum mulierumque numerus, qui suam castitatem Deo devoverant, succrevit; parique modo eorum muneris, quo in Ecclesia fungebantur, momentum haud parum invaluit, ut fusius in Nostra Constitutione Apostolica *Sponsa Christi* exposuimus [8].

Ac praeterea Sancti Patres — ut Cyprianus, Athanasius, Ambrosius, Ioannes Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus aliique non pauci — de virginitate scribendo, eam summis extulerunt laudibus. Haec autem Sanctorum Patrum doctrina, ab Ecclesiae Doctoribus et a christianae asceseos Magistris decursu saeculorum aucta, multum profecto confert ad firmum in utriusque sexus christianis vel excitandum, vel iam conceptum confirmandum propositum perfecta se Deo devovendi castitate atque in ea ad mortem usque perseverandi.

Maior est, quam ut dinumerari possit multitudo eorum qui, ab Ecclesiae initiis ad nostra usque tempora, suam castitatem Deo obtulerunt, alii quidem illibatam suam virginitatem conservando, alii vero, coniuge defuncto, perpetuam viduitatem eidem consecrando, alii denique, suorum peccatorum paenitentes, vitam omnino castam eligendo; omnes autem eodem concordi proposito praestantes, nempe in perpetuum a carnis delectationibus propter Deum abstinendi. Quod igitur Sancti Patres de virginitatis gloria et merito praedicarunt, his omnibus invitatio, firmamentum ac robur sit, ut immobiliter in sacrificio oblato perseverent, neu quidquam vel minimum, super Dei altare positi holocausti partem tollant sibique vindicent.

Dum autem in hac perfecta castitate unum ex tribus votis innititur, quibus religiosus status constat [9], atque eadem ab Ecclesiae latinae clericis in maioribus ordinibus constitutis requiritur [10] et ab

---

[6] Cfr. S. Ignat. Antioch., *Ep. ad. Smyrn.*, c. 13; ed. Funck-Diekamp, *Patres Apostolici*, vol. I, p. 286.

[7] S. Iustin., *Apol. I pro christ.*, c. 15; *P. G.* VI, 349.

[8] Cfr. Const. Apost. *Sponsa Christi; A. A. S.* XLIII, 1951, pp. 5-8.

[9] Cfr. *C. I. C.*, can. 487.

[10] Cfr. *C. I. C.*, can. 132 § 1.

Institutorum Saecularium sodalibus exigitur [11], ipsa nihilo secius etiam apud non paucos floret, qui ad laicorum ordinem omnino pertinent; viri enim et mulieres habentur, qui in statu publico perfectionis non constituuntur, et tamen a matrimonio delectationibusque carnis ex proposito vel voto privato se omnino abstinent, ut liberius proximis inserviant et ut facilius arctiusque cum Deo animum coniungant suum.

Ad hos singulos universos dilectissimos filios ac filias, qui corpus animumque suum quomodocumque Deo consecrarunt, Nos paternum convertimus animum, eosdemque ut propositum sancte susceptum confirmare diligenterque efficere velint adhortamur quam maxime.

Cum autem nonnulli hodie habeantur, qui a recto itinere hac in re declinantes matrimonium adeo extollant, ut illud reapse virginitati praeponant, ideoque Deo dicatam castitatem et ecclesiasticum coelibatum detrectent, Nos doctrinam de excelso virginitatis munere in praesens potissimum declarare ac tueri apostolici officii conscientia postulat, ut veritatem catholicam adversus hos errores defendamus.

I

Imprimisque animadvertendum putamus id ex ipsius Divini Sponsi labiis Ecclesiam deprompsisse, quod de virginitatis doctrina praecipuum est.

Cum enim discipulis gravissima viderentur matrimonii vincula et incommoda, quae eorum Magister loquendo fecerat manifesta, cumque eidem dixissent: « Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere », [12] Iesus Christus respondit non omnes capere verbum istud, sed quibus datum esset; quosdam enim naturae defectu, alios hominum violentia et pravitate a matrimonio impediri, alios vero sponte ac propria voluntate ab eo abstinere, idque « propter regnum caelorum »; atque hisce verbis concludit: « Qui potest capere, capiat » [13].

---

[11] Cfr. Const. Apost. *Provida Mater*, art. III, § 2; *A. A. S.* XXXIX, 1947, p. 121.

[12] Matth. XIX, 10.

[13] *Ibid.* XIX, 11-12.

Hac igitur sententia divinus Magister, non de corporeis agit ad matrimonium ineundum impedimentis, sed de spirituali liberae voluntatis proposito se perpetuo a nuptiis et a corporis delectationibus abstinendi. Eos enim, qui iisdem sua sponte se fore renuntiaturos decrevere, cum eis comparando, qui vel natura, vel hominum vi ad eandem renuntiationem coguntur, nonne Divinus Redemptor illud nos docet, castitatem nempe, ut perfecta reapse sit, oportere perpetuam fore?

Huc accedit — quod Sancti Patres Ecclesiaeque Doctores praeclare docuere — virginitatem non esse christianam virtutem, nisi eam « propter regnum caelorum » [14] amplectamur; hoc est, nisi eiusmodi vitae institutum idcirco suscipiamus, quo facilius divinis rebus vacare possimus, quo tutius aeternam aliquando assequamur beatitatem, quo expeditius denique ceteros etiam ad caelorum regnum, sollerti data opera, conducere possimus.

Non ii igitur christianorum christianarumve virginum honorem sibi vindicare queunt, qui vel ob nimium sui ipsorum studium matrimonio abstineant, vel ea de causa ut ab eius oneribus refugiant, uti Augustinus admonet, [15] vel etiam ut, phariseorum more, suorum corporum integritatem superbe ostentent, quod quidem Gangrense iam Concilium improbat, ne virgo vel continens a matrimonio tamquam abominando recedat et non propter ipsam virginitatis pulchritudinem et sanctitatem [16].

Ac praeterea gentium Apostolus, caelesti instinctu afflatus, haec animadvertit: « Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo... Et mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu » [17]. Hoc igitur primarium propositum est, haec praecipua christianae virginitatis ratio: ad divina nempe unice contendere ac mentem animumque convertere; Deo in omnibus placere velle; eum impense recogitare; eidemque corpus ac spiritum omnino consecrare.

Hoc modo Iesu Christi sententiam et Apostoli gentium doctrinam Sancti Patres nullo non tempore interpretati sunt: etenim inde a prisca Ecclesiae aetate virginitatem reputarunt corporis animique consecrationem Deo delatam. Itaque S. Cyprianus a virginibus re-

---

[14] *Ibid.* XIX, 12.

[15] S. Augustin., *De sancta virginitate*, c. 22; *P. L.* XL, 407.

[16] Cf. can. 9; Mansi, *Coll. concil.*, II, 1096.

[17] *1 Cor.* VII, 32, 34.

quirit « ut quae se Christo dicaverint, a carnali concupiscentia recedentes, tam carne, quam mente se Deo voverint..., nec ornari iam aut placere cuiquam nisi Domino suo studeant » [18]. Ulterius autem procedens Hipponensis Episcopus haec asseverat: « Neque et ipsa, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est honoratur. ... Nec nos hoc in virginibus praedicamus quod virgines sunt, sed quod Deo dicatae pia continentia virgines » [19]. Sacrae vero theologiae principes, S. Thomas Aquinas [20] ac S. Bonaventura [21], Augustini auctoritate innixi, virginitatem edocent virtutis firmitate non pollere, nisi a suscepto voto oriatur eam illibatam perpetuo servandi. Et sane Christi sententiam de perpetua abstinentia a matrimonio ii maxime perfectissimeque ad effectum deducunt, qui voto perpetuo eam servandi se obligant; neque iure asseverari potest eorum propositum, qui sibi quandam ab eo resiliendi apertam viam reservare velint, melius esse atque perfectius.

Quod quidem perfectae castitatis vinculum Sancti Patres habuerunt veluti quoddam spiritualis matrimonii genus, quo animus cum Christo coniungitur; ideoque eo usque nonnulli processere, ut datam fidem, si hac in re violaretur, cum adulterio compararent [22]. Itaque S. Athanasius scribit Catholicam Ecclesiam solitam esse eas appellare sponsas Christi, quae virginitatis virtute polleant [23]. Et S. Ambrosius, presse de sacra virgine scribendo, haec habet: « Virgo est, quae Deo nubit » [24]. Immo, ut ex eiusdem Mediolanensis Doctoris scriptis patet [25], iam a quarto saeculo consecrationis virginum ritus, valde illi similis erat, quo Ecclesia in matrimonii benedictione nostris hisce temporibus utitur [26].

Eadem de causa Sancti Patres virgines adhortantur ut suum ipsarum divinum Sponsum vehementius adament, quam eum diligerent, cum quo fuissent matrimonio coniunctae; eiusque voluntati nullo

---

[18] S. Cypr., *De habitu virginum*, 4; *P. L.* IV, 443.

[19] S. Augustin., *De sancta virginitate*, cc. 8, 11; *P. L.* XL, 400, 401.

[20] S. Thom., *Summa Th.*, II-II, q. 152, a. 3, ad 4.

[21] S. Bonav., *De perfectione evangelica*, q. 3, a 3, sol. 5.

[22] Cfr. S. Cypr., *De habitu virginum*, c. 20; *P. L.* IV, 459.

[23] Cfr. S. Athanas., *Apol. ad Constant.*, 33; *P. G.* XXV, 640.

[24] S. Ambros., *De virginibus*, lib. I, c. 8; n. 52; *P. L.* XVI, 202.

[25] Cfr. *Ibid.*, lib. III, cc. 1-3, nn. 1-14; *De institutione virginis*, c. 17, nn. 104-114; *P. L.* XVI, 219-224, 333-336.

[26] Cfr. *Sacramentarium Leonianum*, XXX; *P. L.* LV, 129; *Pontificale Romanum:* De benedictione et consecratione virginum.

non tempore cogitando agendoque obtemperent [27]. Haec siquidem iisdem Augustinus scribit : « Toto corde amate speciosum forma prae filiis hominum : vacat vobis, liberum est cor a coniugalibus vinculis. ... Si ergo magnum amorem coniugibus deberetis, eum propter quem coniuges habere noluistis, quantum amare debetis? Toto vobis figatur in corde qui pro vobis est fixus in cruce » [28]. Quod ceteroquin iis sensibus propositisque respondet, quae Ecclesia ipsa a virginibus eo die postulat, quo Deo rite consecrantur, eas invitans ut haec verba proferant : « Regnum mundi et omne ornamentum saeculi contempsi propter amorem Domini Nostri Iesu Christi, quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi » [29]. Nihil aliud igitur est, quod virginem suaviter compellit ad corpus animumque suum Divino Redemptori omnino consecrandum, nisi ipsius amor, quemadmodum S. Methodius, Olympi Episcopus, pulcherrima haec verba eam loquentem inducit : « Omnia ipse tu, Christe, mihi es. Tibi me servo castam et, splendentem tenens lampadem, tibi, Sponse, occurro » [30]. Christi amor utique est, qui virgini suadet ut intra monasterii saepta confugiat, ibique perpetuo maneat, ad expeditius ac facilius caelestem Sponsum contemplandum et diligendum; et qui eam impense excitat ad misericordiarum opera proximorum causa ad mortem usque viribus omnibus suscipienda.

De iis vero viris, « qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt » [31], Apostolus Ioannes asseverat : « Hi sequuntur Agnum quocumque ierit » [32]. Quod igitur iis omnibus adhortamentum S. Augustinus impertit, meditemur : « Sequimini Agnum, quia et Agni caro utique virgo... Merito cum sequimini virginitate cordis et carnis quocumque ierit. Quid est enim sequi nisi imitari? Quia Christus pro nobis passus est relinquens nobis exemplum, sicut ait Apostolus Petrus, « ut sequamur vestigia eius » [33]. Siquidem

---

[27] Cfr. S. Cypr., *De habitu virginum*, 4 et 22; *P. L.* IV, 443-444 et 462 : S. Ambros., *De virginibus*, lib. I, c. 7, n. 37 ; *P. L.* XVI, 199.

[28] S. Augustin., *De Sancta virginitate*, cc. 54-55 ; *P. L.* XL, 428.

[29] *Pontificale Romanum* : De benedictione et consecratione virginum.

[30] S. Methodius Olympi, *Convivium decem virginum*, orat. XI, c. 2 ; *P. G.* XVIII, 209.

[31] *Apoc.* XIV, 4.

[32] *Ibid.*

[33] *I Petr.* II, 21 ; S. Augustin., *De sancta virginitate*, c. 27 : *P. L.* XL, 411.

hi omnes discipuli sponsaeque Christi virginitatis institutum amplexi sunt, ut ait S. Bonaventura, « propter conformitatem ad Christum sponsum, ad quem virgines conformes facit » [34]. Eorum enim incensae erga Christum caritati haud satis esse poterat animi vinculis una cum eo coniungi, sed necesse omnino erat ut haec eadem caritas eius virtutum imitatione comprobaretur, peculiarique modo eius conformitate vitae, quae omnis fuit in bonum, in salutemque humani generis acta. Si sacerdotes, si religiosi viri mulieresque, si ii denique omnes, qui quavis ratione divino se devoverunt famulatui, perfectam castitatem colunt, idcirco hoc profecto evenit, quod Divinus eorum Magister virgo fuit ad suae usque vitae obitum. Ita exclamat S. Fulgentius: « Hic est autem Unigenitus Dei Filius, unigenitus etiam Virginis filius, unus omnium sacrarum virginum sponsus, sanctae virginitatis fructus, decus et munus, quem corporaliter sancta virginitas peperit, cui spiritualiter sancta virginitas nubit, a quo sancta virginitas fecundatur ut perseveret intacta, a quo decoratur ut permaneat pulchra, a quo coronatur ut regnet perenniter gloriosa » [35].

Heic autem opportunum ducimus, Venerabiles Fratres, enucleare magis ac declarare diligentius qua de causa Christi amor generosos commoveat animos ad matrimonio abstinendum; et quae arcana intercedant vincula virginitatem inter et christianae caritatis perfectionem. Iam ex ea, quam supra rettulimus, Iesu Christi sententia innuitur perfectam eiusmodi a matrimonio abstinentiam homines exonerare gravibus eius muneribus atque officiis. Divino autem afflante Spiritu gentium Apostolus liberationis huius causam hisce verbis proponit: « Volo autem vos sine sollicitudine esse... Qui autem cum uxore est, sollicitus est quae mundi sunt, quomodo placeat uxori, et divisus est » [36]. Quam ad rem tamen animadvertendum est Apostolum non idcirco improbare viros quod de suis uxoribus solliciti sint, neque uxores reprehendere quod suis coniugibus placere enitantur; sed asseverare potius eorum animos divisos esse inter coniugis amorem et Dei dilectionem, atque acribus distringi curis, quibus ob initi connubii officia haud facile possint divinarum rerum

---

[34] S. Bonav., *De perfectione evangelica*, q. 3, a. 3.
[35] S. Fulgent., *Epist.* 3, c. 4, n. 6; *P. L.* LXV, 326.
[36] *I Cor.* VII, 32-33.

meditationi vacare. Siquidem coniugii officium, quo tenentur, clare imperat: « Erunt duo in carne una » [37]. Namque coniuges, cum in tristibus, tum in laetis rerum adiunctis, mutuis vinculis colligantur [38]. Facile igitur intelligitur cur ii, qui se divino famulatui mancipare cupiant, virginalis vitae institutum veluti quandam liberationem amplectantur, hoc est ut plenius queant Deo servire et ad proximorum viribus omnibus conferre bonum. Quomodo enim poterat — ut exempla proponamus — mirabilis ille evangelicae veritatis praeco, S. Franciscus Xaverius, quomodo poterat misericos ille pater pauperum, S. Vincentius a Paulo, studiosissimusque ille iuventutis educator, S. Ioannes Bosco, ac indefessa illa « mater emigrantium », S. Francisca Xaveria Cabrini, ingentia exantlare incommoda laboresque, si suae cuiusque subolis suique coniugis debuissent corporis animique necessitatibus consulere?

Aliud praeterea in causa est, cur ii omnes, qui se Deo proximorumque saluti omnino devovere percupiant, virginitatis institutum amplectantur. Illud siquidem est, quod Sancti Patres asseverarunt, de utilitatibus edisserentes, quas ii assequi possunt, qui idcirco eiusmodi corporis delectationibus omnino abstinent, ut aptius spiritualis vitae elationibus delectentur. Procul dubio — quod ipsi quoque palam animadverterunt — huius generis voluptas, quae ex matrimonio legitime oritur, haud improbanda in se est; quin immo castum connubium peculiari sacramento nobilitatur ac consecratur. Verumtamen est pari modo concedendum inferiores humanae naturae facultates, post miserum Adae casum, rectae rationi obsistere atque interdum etiam ad inhonesta facienda hominem compellere. Ut enim scribit Doctor Angelicus, usus matrimonii « retrahit animum ne totaliter feratur in Dei servitium » [39].

Quam quidem spiritualem corporis animique libertatem ut sacrorum administri adipiscantur, utque terrenis negotiis ne implicentur, Latina Ecclesia ab iisdem postulat ut volentes libentesque perfectae castitatis obligationi pareant [40]. « Quodsi eiusmodi lex — ut a Decessore Nostro imm. mem. Pio XI assertum est — Orientalis Ecclesiae administros non omnino tenet, iisdem tamen etiam

---

[37] *Gen.* II, 24; Cfr. MATTH. XIX, 5.
[38] Cfr. *I Cor.*, VII, 39.
[39] S. THOM., *Summa Th.*, II-II, q. 186, a. 4.
[40] Cfr. *C. I. C.*, can. 132, § 1.

ecclesiasticus coelibatus honori ducitur; atque interdum — cum praesertim de summis agitur hierarchiae gradibus — necessario requiritur atque praecipitur » [41].

Considerandum praeterea est sacrorum administros, non idcirco solummodo quod apostolico munere funguntur, sed idcirco etiam quod altari inserviunt, matrimonio omnino abstinere. Etenim, si iam Veteris Testamenti sacerdotes, dum templi servitio fungebantur, ab usu matrimonii abstinebant, ne a Lege, sicut et ceteri homines, immundi declarentur [42], quanto magis opportunum est Iesu Christi administros, qui cotidie Eucharisticum offerunt Sacrificium, perpetua castitate pollere? Ad perfectam hanc sacerdotum continentiam quod attinet, S. Petrus Damiani haec interrogando admonet: « Si igitur Redemptor Noster tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modo de virgineo utero nasceretur, sed etiam a nutrito virgine tractaretur, et hoc, cum adhuc parvulus vagiret in cunis, a quibus nunc, obsecro, tractari vult corpus suum cum iam immensus regnat in caelis? »[43].

Hac de causa imprimis asseverandum est — quod luculenter Ecclesia docet — sanctam virginitatem excellentia sua matrimonio praestare. Id iam Divinus Redemptor utpote perfectioris vitae consilium discipulis suaserat [44]; ac Paulus Apostolus, postquam de patre, qui filiam suam matrimonio iungit, dixit: « Bene facit », haec continuo adicit: « Et qui non iungit, melius facit » [45]. Qui quidem Apostolus nuptias cum virginitate comparando, sententiam suam non semel, at praesertim verbis hisce aperit: « Volo enim omnes vos esse sicut meipsum... Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego » [46]. Si igitur virginitatis, ut scripsimus, matrimonio praestat, id potissimum procul dubio ex eo evenit, quod ad excellentiorem assequendum finem spectat [47]; ac praeterea quod etiam efficacitate summa confert ad sese

---

[41] Cfr. Litt. Enc. *Ad catholici sacerdotii fastigium*, *A. A. S.* XXVIII, 1936, pp. 24-25.

[42] Cfr. *Lev.* XV, 16-17; XXII, 4; *I Sam.* XXI, 5-7; cfr. S. Siric. Papa, *Ep. ad Himer.* 7; *P. L.* LVI, 558-559.

[43] S. Petrus Dam., *De coelibatu sacerdotum*, c. 3; *P. L.* CXLV, 384.

[44] Cfr. Matth. XIX, 10-11.

[45] *I Cor.*, VII, 38.

[46] *Ibid.*, VII, 7-8; cfr. 1 et 26.

[47] Cfr. S. Thom., *Summa Th.*, II-II, q. 152, aa. 3-

omnino divino servitio mancipandum; dum contra illius animus, qui coniugii vinculis negotiisque implicatur, plus minusve « divisus » [48] est.

Quodsi fructuum copiam consideramus, qui ex ea oriuntur, tum procul dubio eius excellentia maiore in luce ponitur: « siquidem ex fructu arbor agnoscitur » [49].

Cum ad innumerabilem illam virginum apostolorumque phalangem mentem convertimus, qui a prima Ecclesiae aetate ad nostra usque tempora nuptis abstinuere, ut facilius pleniusque in proximorum salutem amore Christi incumberent, atque ita miranda prorsus religionis caritatisque incepta provexere, tum facere non possumus quin summa suavissimaque afficiamur laetitia. Nam, etsi nolumus, ut aequum est, aliquid ex eorum meritis, ex eorumque apostolatus fructibus detrahere, qui in Actionis Catholicae agminibus militantes, eos etiam salutari navitate sua attingere possunt, quos haud raro nequeunt sacerdotes et religiosi viri mulieresque; nihilominus postremis hisce maiore ex parte novimus eiusmodi caritatis opera procul dubio esse tribuenda. Hi enim hominum vitam, quavis aetate et quavis rerum condicione, generoso animo comitantur ac regunt; et quotiescumque fatigati vel infirmi decidunt, sacrum eiusmodi munus aliis persequendum quasi hereditate committunt. Itaque haud raro fit ut, vixdum natus, infans virginalibus excipiatur manibus, eique nihil desit, quod deinde ipsa mater impensiore amore impertire possit; item, grandiculus factus ac ratiocinationis compos, illis educandus concreditur qui eius mentem christianae doctrinae praeceptis instruant, eius animum opportunis disciplinis excolant, eiusque ingenium et indolem recte conforment; si quis aegritudine laborat vel implicatur morbis, ei praesto sunt qui, caritate Christi compulsi, eius valetudinem sollicitis curis consentaneisque remediis confirmare enituntur; si parentibus orbatur, si rerum angustiis animique miseriis exagitatur, si in vincula coniectus est, non destituitur solaciis auxiliisque, sed sacrorum administri, religiosi viri, sacraeque virgines eum veluti aegrotans mystici Iesu Christi corporis membrum miserabundi respicientes, haec Divini ipsius Redemptoris verba in memoriam revocabunt: « Esurivi enim,

---

[48] Cfr. *1 Cor.*, VII, 33.
[49] Matth. XII, 33.

et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me... Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » [50]. Quid vero dilaudando dicamus de divini verbi praeconibus, qui longe a patria sua infidelium multitudines, gravissimos exantlando labores, ad christianam fidem convertunt? quid de sacris Christi sponsis, quae eis adiutricem navant operam pretiosissimam? Eis singulis universis haec verba, quae in Apostolica Adhortatione *Menti Nostrae* scripsimus, libenter tribuenda repetimus: « ... Coelibatus lege, potius quam paterni muneris officium omnino amittat Sacerdos, in immensum revera adauget, quandoquidem non terrenae huic ac caducae vitae subolem parit, sed caelesti perpetuoque mansurae » [51].

Virginitas praeterea non ob externa solummodo incepta et opera, quibus ii facilius ac plenius se devovere possunt, quicumque eam amplectuntur, fecunda est, sed ob perfectae etiam erga proximos caritatis formas, hoc est ob adhibitas eorum causa incensas supplicationes, et ob gravia incommoda hac eadem de causa sponte libenterque tolerata; quibus quidem Dei famuli ac Iesu Christi sponsae — ii praesertim atque illae, qui intra coenobii saepta aetatem traducunt — totam suam consecrarunt vitam.

Ac denique ipsa Christo consecrata virginitas tamen per se testatur fidem ad caelorum regnum quod attinet, talem praebet erga Divinum Redemptorem amorem, ut haud mirum sit eam uberes edere sanctitatis fructus. Virgines siquidem iique omnes, qui apostolatui se dedunt, perfectaeque se devovent castitati, excelsa suae vitae sanctimonia Ecclesiam decorant paene innumeri. Virginitas enim eiusmodi spiritualem vim in animos inserit, quae ad martyrium etiam, si opus sit, compellere queat; idque luculentissime historia docet, quae tot virginum agmina omnium admirationi proponit, ab Agnete Romana ad Mariam Goretti.

Nec sine causa virginitas virtus angelica dicitur; quod quidem S. Cyprianus virginibus scribens iure meritoque asseverat: « Quod futuri sumus, iam vos esse coepistis. Vos resurrectionis gloriam in isto saeculo iam tenetis, per saeculum sine saeculi contagione tran-

---

[50] Matth. XXV, 35-36, 40.
[51] *A. A. S.* XLII, 1950, p. 663.

sitis. Cum castae perseveratis et virgines, Angelis Dei estis aequales » [52]. Animo purissimae vitae sitienti ac desiderio flagranti assequendi regni caelorum, virginitas praebetur « sicut pretiosa margarita », propter quam aliquis « vendidit omnia quae habuit et emit eam » [53]. Ii vero, qui matrimonio iuncti sunt ac vel ipsi, qui in vitiorum caeno pervolutantur, cum virgines suspiciunt, candidae earum puritatis splendorem haud raro admirantur, seseque permoveri sentiunt ad aliquid assequendum quod sensuum delectationes exsuperet. Quod Aquinas asseverat, haec scribens: « virginitati... attribuitur excellentissima pulchritudo » [54], id procul dubio in causa est cur virgines suo exemplo omnes alliciant. Ac praeterea hi omnes viri ac mulieres, per suam perfectam castitatem, nonne patefaciunt quam maxime, hoc animi imperium in corporis motus esse divini auxilii effectum atque validae virtutis signum?

Hoc autem peculiari modo considerare placet, quod suavissimus est virginitatis fructus: sacras nempe virgines manifestam ac quasi ante oculos ponere perfectam ipsius Ecclesiae matris virginitatem, suaeque ipsarum cum Christo arctissimae coniunctionis sanctitudinem. Quibus Pontifex utitur sacrandarum virginum ritus peragens ac Deum suppliciter adprecans, ea sapientissime hac praesertim de causa scripta fuere: « ut exsisterent sublimiores animae, quae in viri ac mulieris copula fastidirent connubium, concupiscerent sacramentum, nec imitarentur quod nuptiis agitur, sed diligerent quod nuptiis praenotatur » [55].

Quod virgines imagines viventes sunt perfectae illius integritatis, qua Ecclesia cum Divino suo Sponso coniungitur, id procul dubio summae iisdem gloriae vertitur; quod vero eaedem mirabile signum praebent florentis sanctitatis spiritualisque illius fecunditatis, qua societas praestat a Iesu Christo condita, id profecto huic eidem societati gaudium affert tam vehemens, quam quod maxime. Hac de re optime Cyprianus scribit: « Flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiae spiritalis, laeta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago

---

[52] S. Cypr., *De habitu virginum*, 22; *P. L.* IV, 462; cfr. S. Ambros., *De virginibus*, lib. I, c. 8, n. 52; *P. L.* XVI, 202.

[53] Matth. XIII, 46.

[54] S. Thom., *Summa Th.*, II-II, q. 252, a. 5.

[55] *Pontificale Romanum:* De benedictione et consecratione virginum.

respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas atque in illis largiter floret Ecclesiae matris gloriosa fecunditas: quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit » [56].

II

Haec doctrina, qua statuitur virginitatem et coelibatum omnino excellere ac matrimonio praestare, iam a Divino Redemptore et a gentium Apostolo, ut diximus, patefacta fuit; itemque in sacrosancta Tridentina synodo [57] sollemniter fuit ut divinae fidei dogma definita, et a Sanctis Patribus Ecclesiaeque Doctoribus concordi semper sententia declarata. Praeterea ut Decessores Nostri, ita Nosmet ipsi, quotiescumque occasio data est, eam etiam atque explanavimus ac valde commendavimus. Verumtamen, cum recens non defuerint qui hanc eandem doctrinam a maioribus Ecclesiae traditam impugnarent non sine gravi christifidelium periculo ac detrimento, Nos pro officii Nostri conscientia opportunum duximus rem iterum per Encyclicas has Litteras resumere, et eiusmodi errores, qui saepenumero sub fucata veri specie proponuntur, detegere ac reprobare.

Imprimisque a communi probatorum hominum sensu, quem quidem Ecclesia semper in honore habuit, ii procul dubio aberrant, qui naturalem sexus instinctum considerant quasi potiorem maioremque humanae compagis propensionem et exinde concludunt hominem non posse per totius vitae cursum huiusmodi appetitum coercere sine gravi periculo eius corporis vitalia potissimumque nervos perturbandi, ideoque humanae personae aequilibrati detrimentum inferendi.

Ut autem S. Thomas iure meritoque animadvertit, quae nostro in animo altius insidet propensio, reapse ad sui ipsius conservationem spectat, inclinatio vero, quae e sexus facultatibus oritur, secundum obtinet locum. Ac praeterea ad humanae rationis impulsum ac regimen pertinet, quae singulare est naturae nostrae privilegium, intimos huius generis moderari stimulos atque instinctus, eosdemque recto dominio suo efficere nobiliores [58].

---

[56] S. Cypr., *De habitu virginum*, 3; *P. L.* IV, 443.

[57] Sess. XXIV, can. 10.

[58] Cfr. S. Thom., *Summa Th.*, I-II, q. 94, a. 2.

Utique, proh dolor, post primum Adae peccatum, perturbatae corporis facultates cupidinesque non solum in sensus, sed in animos etiam dominari contendunt, tenebras offundendo mentibus ac debilitando voluntates. At Iesu Christi gratia idcirco nobis per sacramenta potissimum impertitur, ut spiritu viventes corpus in servitutem redigamus [59]. Castitatis virtus non a nobis postulat ut concupiscentiae stimulum ne sentiamus, sed ut rectae potius subiciamus rationi et legi gratiae ad id pro viribus contendendo, quod in humana christianaque vita nobilius est.

Ad hoc autem animi imperium in corporis sensus perfecte acquirendum, non satis est ab actibus solummodo, qui directe castitati sint contrarii, sese abstinere, sed omnino necesse est libenter generoseque ea omnia deserere, quae huius virtutis actibus plus minusve remote adversentur: tunc enim animus in corpore plene regnat et spiritualem suam vitam pace ac libertate exercere potest. Quis igitur, inter eos qui catholicae religionis principiis innituntur, non videat perfectam castitatem virginitatemque, nedum naturali virorum ac mulierum incremento naturalique progressioni officiat, id augere ac nobilitare quam maxime?

Recentius autem eorum sententiam maerenti animo reprobavimus, qui eo usque procedunt ut coniugium asseverent unum esse, quod naturale personae humanae incrementum debitamque perfectionem tueri possit [60]. Nonnulli enim affirmant divinam gratiam, a matrimonii sacramento *ex opere operato* impertitam, ita coniugii usum sanctum reddere, ut instrumentum evadat ad singulos animos cum Deo coniungendos efficacius quam virginitas ipsa, quandoquidem matrimonium christianum, non autem virginitas, sacramentum est. Quam quidem doctrinam utpote falsam ac detrimentosam denuntiamus. Utique enim hoc sacramentum divinam sponsis impertit gratiam ad coniugalem officium sancte obeundum; utique mutui amoris nexus confirmat, quibus iidem una invicem continentur; verumtamen non ad id institutum est ut coniugii usum veluti instrumentum reddat per se magis aptum ad sponsorum animos caritatis vinculo cum Deo ipso coniungendos [61]. Nonne potius Apostolus Paulus coniugibus

[59] Cfr. *Gal.* V, 25; *1 Cor.*, IX, 27.

[60] Cfr. Allocutio ad Moderatrices supremas Ordinum et Institutorum Religiosarum, d. 15 septembris 1952; *A. A. S.* XLIV, 1952, p. 824.

[61] Cfr. Decretum S. Officii, *De matrimonii finibus*, d. 1 aprilis 1944; *A. A. S.* XXXVI, 1944, p. 103.

ius agnoscit a matrimonii usu se abstinendi ad tempus, ut vacent orationi [62], idcirco quia eiusmodi abstinentia liberiorem reddit animum, qui velit caelestibus rebus Deique supplicationibus se dedere?

Denique asseverari non potest — ut quidam faciunt — « mutuum adiutorium » [63], quod sponsi in christianis nuptiis quaerunt, opem esse perfectiorem quam *solitudinem*, ut aiunt, *cordis* virginum et coelibum, ad propriam sanctitatem assequendam. Nam, quamquam ii omnes, qui perfectae castitatis institutum amplexi sunt, humano huiusmodi amore se abdicaverunt, nihilo secius hac de causa affirmari non potest eos ob hanc eandem privationem suam reddidisse humanam personam quasi imminutam ac despoliatam. Ii enim a caelestium ipso munerum Datore spirituale aliquid accipiunt, quod quidem illud in immensum exsuperat « mutuum adiutorium », a coniugibus sibi invicem impertitum. Cum siquidem ei omnino se devoveant, qui suum principium est, quique divinam cum ipsis participat vitam, semet ipsos non minuunt, sed quam maxime adaugent. Quisnam enim verius potest, quam virgines, mirabilem illam Pauli Apostoli sententiam sibi tribuere: « Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus »? [64].

Hac de causa Ecclesia sapientissime ducit sacerdotum coelibatum tuendum esse; novit enim illum esse ac fore spiritualium gratiarum fontem, quibus iidem arctius usque cum Deo coniungantur.

Opportunum praeterea putamus breviter heic aliquid de eorum errore attingere, qui quidem ut iuvenes a sacris Seminariis, puellas vero a religiosis Institutis avertant, eorum mentibus inculcare enitantur Ecclesiam hodie illorum auxilio illorumque christianae virtutis professione magis indigere, qui matrimonio coniuncti communem cum ceteris in saeculo vitam traducant, quam sacerdotum sacrarumque virginum, qui ob nuncupatum castitatis votum quasi ab humana societate abstrahantur. Quod quidem commentum, Venerabiles Fratres, falsum omnino esse ac perniciosissimum nemo est qui non videat.

Equidem mens Nobis haud est infitiari catholicos coniuges, ob eorum christianae vitae exempla, in quibusvis locis commorentur

---

[62] Cfr. *1 Cor.* VII, 5.
[63] Cfr. *C. I. C.*, can. 1013 § 1.
[64] *Gal.* II, 20.

et in quibusvis versentur rerum adiunctis, uberes posse eorum virtutis testimonio salutaresque edere fructus. Verumtamen qui hac de causa suadet magis optandum esse in matrimonio vivere, quam se Deo omnino consecrare, is rectum rerum ordinem procul dubio invertit ac miscet. Vehementer utique cupimus, Venerabiles Fratres, ut qui iam confecerint nuptias, vel in matrimonium ire exoptent, opportune edoceantur se gravi teneri officio non modo quam habeant aut habituri sint subolem recte diligenterque educandi, sed etiam suae fidei testimonio virtutisque exemplo ceteros pro facultate iuvandi. Attamen qui adulescentes ab ingrediendo Seminario vel a Religiosis Ordinibus ac Sodalitatibus a sacrisque nuncupandis votis avertere contendant, iisdem suadendo se posse, si matrimonio coniungantur, utpote patres matresve familias, christianae suae vitae professione omnibus aperta ac publica, maius assequi spirituale bonum, eos quidem omnes, ut officii Nostri conscientia postulat, facere non possumus quin omnino reprobemus. Aptius profecto rectiusque ii egerint, si innumeros eos, qui in coniugio vivunt, quam studiosissime possint, adhortentur ad apostolatus opera in laicorum ordine adiutrice navitate sua provehenda, quam si eos iuvenes, hodie non multos, proh dolor, qui se divino famulatui dedere cupiant, a virginitate abstrahere contenderint. Quam ad rem opportune scribit Ambrosius: « Semper spectavit ad gratiam sacerdotum iacere semina integritatis, et virginitatis studia provocare » [65].

Ac praeterea monendum putamus, omnino falsum esse asseverare, qui se perfectae castitati devoverint, eos ab hominum communitate quasi extraneos abesse. Sacrae enim virgines, quae vitam suam pauperum infirmorumque servitio dedunt, nullo habito stirpis, socialis ordinis, religionisve discrimine, nonne eorum miseriis eorumque doloribus intime coniunguntur, iisdemque suavissime afficiuntur, ac si reapse essent eorum matres? Itemque sacerdos nonne exemplo divini Magistri sui permotus, boni pastoris munere fungitur, qui oves suas cognoscit ac nominatim vocat? [66]. Iamvero ex perfecta, quam colunt, castitate hi sacerdotes ac religiosi viri religiosaeque mulieres habent, cur sese omnibus addicant, omnesque adament amore Christi. Atque ii etiam, qui vitam contemplativam ducunt, ideirco quod non modo suas preces supplicationesque, sed

---

[65] S. Ambros., *De virginitate*, c. 5, n. 26; *P. L.* XVI, 272.
[66] Cfr. Io. X, 14; X, 3.

suam ipsorum quoque immolationem Deo offerunt pro ceterorum salute, multum profecto conferunt ad Ecclesiae bonum; quin immo, cum in praesentibus rerum adiunctis apostolatus et caritatis operibus se dedant ad normas, quas per Apostolicas Litteras *Sponsa Christi* [67] impertivimus, hac etiam ratione maxime probandi sunt; neque ab hominum consortione alieni dici queunt cum potius ad spiritualem eorum profectum duplici hac de causa adlaborent.

III

Iam ad ea deveniamus, Venerabiles Fratres, quae ex hac Ecclesiae doctrina de virginitatis excellentia, in vitae usum deduci queant.

Hoc imprimis aperte declarandum est: idcirco quod virginitas aliquid perfectius est quam coniugium existimanda, non inde consequi eam esse necessariam ad christianam perfectionem attingendam. Vitae sanctimonia, etiam sine castitate Deo dicata, reapse haberi potest; quod quidem frequentes testantur sancti viri sanctaeque mulieres, qui ab Ecclesia publico honorantur cultu, quique fideles fuerunt coniuges excellentesque patres matresve familias in exemplum enituere; immo haud rarum est coniuges etiam agnoscere, qui ad christianam perfectionem studiosissime contendant.

Animadvertendum praeterea est Deum non christianos omnes ad virginitatem iubendo compellere, quemadmodum hisce verbis Paulus docet Apostolus: « De virginibus autem praeceptum Domini non habeo, consilium autem do » [68]. Ad perfectam igitur castitatem amplectendam consilio tantum movemur, utpote quae eos, « quibus datum est » [69], tutius atque expeditius ad evangelicam perfectionem, ad quam aspirent, et ad regnum caelorum assequendum conducere queat; quamobrem ea, ut recte animadvertit Ambrosius, « non imponitur, sed proponitur » [70].

Hac de causa perfecta castitas hinc liberam a christianis optionem postulat antequam iidem se omnino Deo offerant ac dedant, illinc vero a Deo ipso supernum munus postulat supernamque gratiam [71]. Iam Divinus ipse Redemptor hac de re hisce verbis nos

---

[67] Cfr. *A. A. S.*, XLIII, 1951, p. 20.

[68] *I Cor.* VII, 25.

[69] MATTH. XIX, 11.

[70] S. AMBROS., *De viduis*, c. 12, n. 72; *P. L.* XVI, 256; cfr. S. CYPR., *De habitu virginum*, c. 23; *P. L.* IV, 463.

[71] Cfr. *I Cor.* VII, 7.

admonuit: « Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est... Qui potest capere, capiat » [72]. Quam sacram Iesu Christi sententiam Hieronymus intento reputans animo, omnes adhortatur « ut unusquisque consideret vires suas, utrum possit virginalia et pudicitiae implere praecepta. Per se enim castitas blanda est et quemlibet ad se alliciens. Sed considerandae sunt vires, ut qui potest capere capiat. Quasi hortantis vox Domini est, et milites suos ad pudicitiae praemium concitantis. Qui potest capere, capiat: qui potest pugnare, pugnet, superet ac triumphet » [73].

Virginitas enim ardua virtus est: ut quis eam amplecti valeat, non modo requiritur ut firmum et expressum habeat propositum a legitimis oblectationibus, quae ex matrimonio oriuntur, omnino perpetuoque abstinendi, sed etiam ut rebellantes corporis animique motus constanter vigilando eluctandoque coërceat ac sedet, ut a mundi sollicitationibus refugiat, utque daemonis certamina evincat. Quam verum igitur est illud Chrysostomi: « Et radix et fructus virginitatis vita crucifixa est » [74] Virginitas enim, secundum Ambrosium, veluti sacrificium est, et virgo ipsa « pudoris hostia, victima castitatis » [75]. Immo S. Methodius Olympi episcopus martyribus comparat virgines [76] et S. Gregorius Magnus docet castitatem perfectam supplere martyrium: « Nam, quamvis occasio persecutionis desit, habet tamen pax nostra martyrium suum, quia, etsi carnis colla ferro non subdimus, spiritali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidamus » [77]. Quapropter castitas Deo dicata fortes nobilesque animos postulat, qui ad suum certamen certandum ac vincendum parati sint « propter regnum coelorum » [78].

Antequam igitur arctissimum eiusmodi iter ingrediantur, ii omnes, qui experiundo noverint se hac in re animi nimia debilitate laborare, hanc Pauli Apostoli monitionem mente demissa audiant: « Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri » [79]. Multis enim continentiae perpetuae onus procul dubio

---

[72] Matth. XIX, 11, 12.

[73] S. Hieronym. *Comment. in Matth.*, XIX, 12; *P. L.* XXVI, 136.

[74] S. Ioann. Chrysost., *De virginitate*, 80; *P. G.* XLVIII, 592.

[75] S. Ambros., *De virginibus*, lib. I, c. 11, n. 65; *P. L.* XVI, 206.

[76] Cfr. S. Methodius Olympi, *Convivium decem virginum*, Orat. VII, c. 3; *P. G.* XVIII, 128-129.

[77] S. Gregor. Magnus, *Hom. in Evang.*, lib. I, hom. 3, n. 4; *P. L.* LXXVI, 1089.

[78] Matth. XIX, 12.

[79] *I Cor.* VII, 9.

gravius est, quam quod iisdem suaderi possit. Parique modo, qui sacerdotes gravi tenentur officio eos adulescentes suo consilio iuvandi, qui ad sacerdotium capessendum vel ad religiosam ineundam vitam, quadam animi inclinatione, se excitatos dicant, ad rem diligenter considerandam eos adhortentur, ne viam ingrediantur, quam eos firmiter feliciterque ad finem usque obituros sperari non possit. Eiusmodi idoneitatem prudenter perpendant, audita etiam peritorum sententia, quoties consentaneum fuerit; tunc vero, si serium dubium supersit praesertim ex anteactae vitae experientia, suam auctoritatem interponant, ut candidati a statu perfectae castitatis capessendo desistant, neve iidem ad sacros ordines vel religiosam professionem admittantur.

Verumtamen, etsi Deo dicata castitas ardua virtus est, eam nihilo secius ii fideliter perfecteque servare possunt, qui Iesu Christi invitationi, re diligenter considerata, generoso respondeant animo, et quidquid possunt ad hanc rem assequendam efficiant. Nam cum eiusmodi virginitatis vel coelibatus statum capessierint, idcirco hoc donum gratiae a Deo accipient, quo adiuti suum propositum exsequi possint. Quapropter, si forte habeantur, « qui non sentiunt se castitatis (etiamsi eam voverint) habere donum » [80], ne ipsi contendant exinde suis obligationibus hac in re satisfacere non posse: « Nam ' Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis » [81] et adiuvat ut possis » [82]. Hanc, solacio plenam veritatem eorum quoque in memoriam revocamus, quorum voluntas ob nervorum perturbationes infirmata est, et quibus nonnulli medici, interdum etiam catholici, nimia facilitate suadent — speciosam interponentes causam, se nempe non posse sine mentis aequilibritatis detrimento castitatem servare — ut eiusmodi obligatione eximantur. Quam utilius opportuniusque est huius generis infirmos adiuvare ad suam solidandam voluntatem, eosdemque admonere ne ipsis quidem castitatem impossibilem esse, secundum Apostoli sententiam: « Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere » [83].

---

[80] Cfr. *Conc. Trid.*, sess. XXIV, can. 9.
[81] Cfr. S. Augustin., *De natura et gratia*, c. 43, n. 50; *P. L.* XLIV, 271.
[82] *Conc. Trid.*, sess. VI, c. 11.
[83] *1 Cor.* X, 13.

Haec autem sunt, quae Divinus ipse Redemptor nobis commendavit adiumenta, quibus virtutem nostram efficaciter tueamur: sedula nempe adsiduaque vigilantia, qua quidquid in nostra facultate est diligenter efficiamus; ac praeterea constans precatio, qua id a Deo petamus, quod nos pro infirmitate nostra assequi non possimus: « Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma » [84].

Eiusmodi vigilantia, quae ad quaelibet pertineat nostrae vitae momenta et ad quaevis etiam rerum adiuncta, nobis omnino necessaria est: « Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem » [85]. Si quis vero aliquid, etsi parum, corporis illecebris concesserit, facile is ad ea « opera carnis », quae Apostolus enumerat [86], et quae turpiora ac foediora sunt hominum vitia, se prolabi sentiet.

Hac de causa imprimis invigilemus oportet cupidinum sensuumque motibus, eosdemque voluntaria etiam asperitate vitae corporisque castigatione ita coërceamus, ut rectae efficiamus rationi Deique legi subiectos: « Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis » [87]. Ipse gentium Apostolus de semet ipso confitetur: « Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar » [88]. Omnes sancti viri sanctaeque mulieres suorum sensuum cupidinumque motibus impense invigilarunt eosque interdum acerrime cohibuerunt, secundum verba ipsius Divini Magistri docentis: « Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et proice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam » [89] Qua admonitione, ut luculenter patet, id a nobis imprimis Redemptor noster postulat ut nempe, ne mente quidem, peccato umquam concedamus, itemque ut ea omnia a nobis firma voluntate arceamus, quae pulcherrimam eiusmodi virtutem vel levissimo modo commaculare queant. Hac in re nulla nimia diligen-

---

[84] Matth. XXVI, 41.
[85] *Gal.* V, 17.
[86] Cfr. *Ibid.* 19-71.
[87] *Ibid.* 24.
[88] *I Cor.* IX, 27.
[89] Matth, V, 28-29.

tia, nulla severitas nimia haberi potest. Si infirma valetudo aliaeve causae alicui graviores corporis austeritates non permittant, nunquam tamen eum ex vigilantia et interna sui ipsius refrenatione eximunt.

Quam ad rem animadvertendum praeterea est — quod ceteroquin Sancti Patres [90] Ecclesiaeque Doctores [91] docent — facilius non posse peccati blandimenta cupidinumque illecebras eluctando compescere, si non recta adversus ea repugnemus, sed potius si ab iisdem pro viribus refugiamus. Ad tuendam castimoniam, secundum Hieronymi sententiam, fuga magis valet quam apertum certamen: « Ideo fugio, ne vincar » [92]. Quae quidem fuga ita intellegenda est, ut non modo peccandi occasiones diligenter arceamus, sed praesertim ut in huius generis certaminibus mentem animumque ad divina erigamus, in eo potissimum defixi, cui virginitatem nostram devovimus. « Inspicite pulchritudinem Amatoris vestri » [93], ut Augustinus admonet.

Iamvero eiusmodi fugam ac sedulam vigilantiam, quibus nos a peccati occasionibus diligentissime removeamus oportet, sancti viri sanctaeque mulieres nullo non tempore habuerunt utpote aptiorem eluctandi hoc in genere rationem: verumtamen hodie non idem omnes sentire videntur. Nonnulli siquidem autumant christianos omnes, ac praesertim sacrorum administros, non ut superioribus aetatibus esse *a mundo segregandos*, ut aiunt, sed *mundo praesentes esse* oportere, et ideo necesse esse eos *aleam subire* atque eorum castitatem in discrimen adducere, ut inde clare pateat utrum habeant, an non, validam obsistendi facultatem: omnia igitur videant iuvenes clerici, ita ut omnia cernere aequo animo assuescant, atque quibusvis perturbationibus se immunes reddant. Hac de causa facile concedunt eos posse, nulla habita verecundia, in quidquid obversetur libere oculos convertere; cinematographica spectacula frequentare, ac vel illa etiam, quae ab ecclesiasticis censoribus prohibita fuerint; quoslibet commentarios, etsi obscenos, pervolutare, atque

---

[90] Cfr. S. Caesar. Arelat., *Sermo 41;* ed. G. Morin. Maredsous, 1937, vol. I, p. 172.

[91] Cfr. S. Thomas, *In Ep. I ad Cor. VI*, lect. 3; S. Franciscus Sales. *Introduction à la vie dévote*, part. IV, c. 7; S. Alphonsus a Liguori, *La vera sposa di Gesù Cristo*, 1, n. 16; c. 15, n. 10.

[92] S. Hieronym. *Contra Vigilant.*, 16; *P. L.* XXIII, 352.

[93] S. Augustin., *De sancta virginitate*, c, 54; *P. L*, 428.

eas etiam amatorias fabulas legere, quae in Indice scriptorum prohibitorum annumerentur, vel ipso vetentur naturali iure. Idque idcirco concedunt, quod censent eiusmodi spectaculis editisque scriptionibus hodie hominum multitudinem pasci, quorum quidem cogitandi sentiendique modum intellegere debeant qui eos iuvare velint. Atqui facile cernitur falsam hanc esse ac detrimentosam cleri educandi rationem eiusdemque ad crediti muneris assequendam sanctitatem conformandi. Etenim « qui amat periculum, in illo peribit » [94]; atque in hanc rem opportuna cadit haec Sancti Augustini admonitio: « Ne dicatis vos habere animos pudicos si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius » [95].

Procul dubio haec funesta agendi ratio in gravi ratiocinandi confusione innititur. Siquidem Christus Dominus de Apostolis utique, asseveravit: « Ego misi eos in mundum »; [96] sed antea tamen de iisdem dixerat: « De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo » [97] ac divinum Patrem suum hisce verbis precatus est: « Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo » [98]. Ab Ecclesia autem, quae iisdem permovetur principiis, ut sacerdotes a malis incitamentis arceantur, quae facile illos omnes attingere queant, qui in mediis mundi rebus versentur, opportunae sapientesque editae sunt normae, [99], quibus eorum vitae sanctimonia longe satis a laicorum hominum curis et oblectamentis in tuto ponatur.

Iamvero maiore profecto de causa iuvenis clerus, idcirco quod ad vitam spiritualem ad perfectionemque sacerdotalem vel religiosam educandus est, oportet a mundi tumultu segregatus sit, priusquam ad suum certandum certamen prodeat, et in sacrum Seminarium vel in scholasticorum sodalium domum per diuturnum temporis spatium excipiatur, ubi edoceatur diligenter seduloque conformetur ad eas quaestiones sensim prudenterque attingendas cognoscendasque, quae praesens induxit aetas, secundum normas quas Nosmet ipsi per Apostolicam Adhortationem *Menti nostrae* impertivi-

---

[94] *Eccli.*, III, 27.

[95] S. Augustin., *Epist.* 211, n. 10; *P. L.* XXXIII, 961.

[96] Io. XVII, 18.

[97] *Ibid.* 16.

[98] *Ibid.* 15.

[99] Cfr. *C. I. C.*, can. 124-142. Cfr. Cfr. B. Pius PP. X. Exhort. ad cler. cath. *Haerent animo*, *A. S. S.*, XLI, 1908, pp. 565-573; Pius PP. XI, Litt. enc. *Ad catholici sacerdotii fastigium*, *A. A. S.*, XXVIII, 1936, pp. 23-30; Pius XII, Adhort. apost. *Menti Nostrae*, *A. A. S.*, XLII, 1950, pp. 692-694.

mus [100]. Quisnam enim viridarii cultor virgulta, electa quidem sed adhuc tenuia, procellosis tempestatibus ideirco obiciat, ut suae, qua nondum polleant, firmitudinis experimentum praebeant? Atqui sacri Seminarii alumni ac scholastici sodales instar iuvenum debiliumque arbustorum certo habendi sunt, quos adhuc in tuto ponere ac pedetemptim ad resistendum certandumque comparare necesse est. Rectius profecto utiliusque fecerint sacrae iuventutis educatores, si adulescentium mentibus christianae pudicitiae praecepta inculcaverint, quae quidem tantopere valeat ad virginitatis incolumitatem servandam et quae castitatis prudentia revera dici potest. Pudicitia enim et ingruens periculum prospicit, et vetat ne quis se discrimini prodat, et ea etiam rerum adiuncta vitare iubet, a quibus aliquis minus prudens non refugit. Verba turpia minusve honesta non amat, et ab immodestia vel levissima abhorret, atque a suspecta familiaritate cum alterius sexus personis diligenter cavet, cum animo suadet debitam corpori praestare reverentiam, quod membrum Christi sit [101] ac Spiritus Sancti templum [102]. Qui christiana verecundia ornatus est, quodlibet abominatur impuritatis peccatum, ab eoque illico se abstrahit, quotiescumque eius illecebris allicitur.

Pudicitia praeterea parentibus atque educatoribus opportuna verba suggerit ac praebet, quibus oporteat iuvenum conscientiam, ad castimoniam quod attinet, conformare. « Quocirca — ut in allocutione haud ita multo ante habita animadvertimus — huiusmodi verecundia non ita accipienda est ut hac super causa perpetuo aequiparetur silentio, utque in impertienda disciplina morum ne sobrius quidem cautusque sermo de iis umquam fiat » [103]. Verumtamen, nostris hisce temporibus, nonnulli institutores educatoresque nimio saepius sibi officium esse ducunt innocentes pueros puellasque tali modo arcanis humanae generationis initiandi rebus, qui eorum pudorem offendat. Atqui iusta hac in re agendi temperatio ac moderatio adhibenda est, quae a christiana pudicitia requiritur.

Haec autem pudica verecundia Dei timore alitur, eo videlicet filiorum timore, profundae humilitatis christianae virtute innixo, quo summa cura a peccato cuiusvis generis abhorremus, ut Decessor Noster S. Clemens I hisce verbis asseverat: « Qui carne castus est,

---

[100] Cfr. *A. A. S.* XLII, 1950, pp. 690-691.
[101] Cfr. *1 Cor.* VI, 15.
[102] *Ibid.* 19.
[103] Alloc. *Magis quam mentis*, d. 23 Sept., a. 1951 ; *A. A. S.* XLIII, 1951, p. 736.

ne glorietur, cum sciat alium esse qui continentiae donum ipsi tribuat » [104] Quanti autem momenti christiana humilitas sit ad virginitatem custodiendam, nemo fortasse clarius quam Augustinus docuit: « Quia perpetua continentia, maximeque virginitas, magnum bonum est in sanctis Dei, vigilantissime cavendum est ne superbia corrumpatur... Quod bonum quando magnum video, tanto ei, ne pereat, furem superbiam pertimesco. Non ergo custodit bonum virginale, nisi Deus ipse qui dedit: et ' Deus est charitas ' [105]. Custos ergo virginitatis charitas; locus autem huius custodis humilitas » [106].

Aliud praeterea intento perpendendum est animo: ad illibatam nempe conservandam castimoniam neque vigilantiam, neque verecundiam valere satis. Adiumentis etiam utendum est, quae naturae vires omnino excedunt: hoc est precatione ad Deum adhibita, Paenitentiae et Eucharistiae sacramentis, incensaque pietate erga Sanctissimam Dei Matrem.

Numquam obliviscendum est perfectam castitatem excelsum donum esse a Deo datum. Quam ad rem haec presse animadvertit Hieronymus: « His datus est [107], qui petierunt, qui voluerunt, qui ut acciperent laboraverunt. Omni enim petenti dabitur, et quaerens inveniet, et pulsanti aperietur » [108]. A sancta precatione pendet, Ambrosius addit, constans virginum fidelitas erga Divinum Sponsum [109]. Et S. Alphonsus a Liguori ea, qua praestabat, flagrantissima pietate docet nullam esse magis necessariam et securam opem ad tentationes vincendas adversus pulchram eiusmodi castitatis virtutem, quam statim ad Deum precando confugere [110].

Ad preces tamen accedat oportet Paenitentiae Sacramentum, quod frequenter studioseque adhibitum, utpote spirituale medicamentum, nos expiat ac sanat; itemque Eucharistiae pabulum, quod quidem, ut Decessor Noster imm. mem. Leo XIII asseverat, optimum est « remedium contra libidinem » [111]. Quo purior et castior est animus, eo magis hunc panem esurit, ex quo fortitudinem haurit

---

[104] S. Clemens Rom., *Ad Corinthios*, XXXVIII, 2; ed. Funk-Diekamp, *Patres Apostolici*, vol. I, p. 148.

[105] I Ioann., IV, 8.

[106] S. Augustin., *De sancta virginitate*, cc. 33, 51; *P. L.* XL, 415, 426; cfr. cc. 31-32. 38; 412-415, 419.

[107] Cfr. Matth. XIX, 11.

[108] Cfr. *Ibid.* VII, 8; S. Hieronym., *Comm. in Matth.* XIX, 11; *P. L.* XXVI, 135.

[109] Cfr. S. Ambros., *De virginibus*, lib. III, c. 4, nn. 18-20; *P. L.* XVI, 225.

[110] S. Alphonsus a Liguori, *Pratica di amar Gesù Cristo*, c. 17, nn. 7-17.

[111] Leo XIII, Enc. *Mirae caritatis*, d. 28 Maii, a. 1902; *A. L.* XXII, pp. 1902-1903.

ad obsistendum quibuslibet impuri peccati illecebris, et quo arctius cum Divino Sponso coniungitur: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo » [112].

Insignis sane et per saeculorum decursum iterum iterumque experimento probata ratio, qua intemerata perfectaque castitas custodiatur ac foveatur, solida est atque incensissima erga Deiparam Virginem pietas. Hac enim pietate quodam modo cetera omnia adiumenta continentur; quandoquidem qui ea sincere impenseque animatur, is procul dubio ad sedulam vigilantiam, ad effundendas preces, atque ad accedendum ad paenitentiae tribunal et ad sacram mensam salutariter excitatur. Quamobrem sacerdotes omnes ac religiosos sodales sacrasque virgines paterno adhortamur animo, ut in peculiarem tutelam se recipiant almae Dei Matris, quae virginum Virgo est atque « virginitatis magistra », ut asseverat Ambrosius [113], et quae potentissima Mater est praesertim eorum omnium, qui se divino servitio manciparunt ac consecrarunt.

Per eam autem esse virginitatem ortam iam animadvertit Athanasius [114], atque hisce verbis clare docet Augustinus: « Coepit dignitas virginalis a Matre Domini » [115]. Atque eiusdem Athanasii [116] vestigia premens Ambrosius Mariae Virginis vitam virginibus tamquam exemplar proponit: « Hanc imitamini, filiae... [117] Sit igitur vobis tamquam in imagine descripta virginitas vita Mariae, de qua, velut speculo, refulgeat species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effingere, quid tenere debeatis, ostendunt... Haec est imago virginitatis. Talis enim fuit Maria, ut eius unius vita omnium sit disciplina... [118] Ergo sancta Maria disciplinam vitae informet » [119]. « Cuius tanta gratia ut, non solum in se virginitatis gratiam reservaret, sed etiam his, quos viseret, integritatis insigne conferret » [120]. Quam verum igitur est illud

---

[112] Io. VI, 57.
[113] S. Ambros., *De institutione virginis*, c. 6, n. 46; *P. L.* XVI, 320.
[114] Cfr. S. Athanas., *De virginitate*, ed. Th. Lefort, *Muséon*, XLII, 1929, p. 247.
[115] S. Augustin., *Serm.* 51, c. 16, n. 26; *P. L.* XXXVIII, 348.
[116] Cfr. S. Athanas, *Ibib.*, p. 244.
[117] S. Ambros., *De institutione virginis*, c. 14, n. 87; *P. L.* XVI, 328.
[118] S. Ambros., *De virginibus*, lib. II, c. 2, n. 6, 15; *P. L.* XVI, 208, 210.
[119] *Ibid.*, c. 3, n. 19; *P. L.* XVI, 211.
[120] S. Ambros., *De institut. virginis*, c. 7, n. 50; *P. L.* XVI, 319.

eiusdem Ambrosii effatum: « O divitias Marianae Virginitatis! » [121] Ob quas quidem divitias hodiernis etiam sacris virginibus religiosisque viris et sacerdotibus summopere prodest virginitatem Mariae contemplari, ut fidelius ac perfectius castitatem proprii status exerceant.

Sed non satis vobis sit, dilectissimi filii et filiae, de Beatae Mariae Virginis virtutibus meditari: ad ipsam impensissima etiam cum fiducia confugite, consilio obsequentes S. Bernardi hortantis: « Quaeramus gratiam, et per Mariam quaeramus » [122]. Ac peculiari modo per Marianum qui volvitur annum in ipsa vestrae spiritualis vitae ac perfectionis curam reponite, exemplum imitantes Hieronymi, qui asseveralat: « Mihi virginitas in Maria dedicatur et Christo » [123].

IV

In gravibus difficultatibus, quas hodie Ecclesia eluctari debet, Noster Supremi Pastoris animus magno solacio afficitur, Venerabiles Fratres, cum cernimus virginitatem, quae ubique terrarum floret, nostra quoque ut superioribus aetatibus, magna in aestimatione magnoque in honore esse, quamvis, ut diximus, erroribus impugnetur, quos tamen, ut evanidos, quam primum dilapsuros confidimus.

Haud diffitemur nihilo secius hoc gaudium Nostrum aliqua obumbrari maestitia, cum noscamus in non paucis regionibus eorum numerum in dies imminui, qui divino quodam afflatu vocati amplectundum suscipiant virginalis vitae institutum. Quibus praesertim de causis id eveniat, iam supra diximus; non est igitur cur rem iterum attingamus. Confidimus potius fore ut ii iuvenum educatores, qui hac super re in errores prolapsi fuerint, eos quam primum detegant ac repudient, ideoque sibi cordi habeant et iisdem mederi, et quidquid possunt efficere, ut qui ad sacerdotalia munia capessenda vel ad amplectendum religiosae vitae institutum superno quodam instinctu vocatos se sentiant, suisque ipsorum curis concrediti fuerint, ii omni ope adiuventur, ut excelsam eiusmodi metam attingere queant. Atque utinam feliciter contingat ut nova frequen-

---

[121] *Ibid.*, c. 13, n. 81; *P. L.* XVI, 339.

[122] S. Bernard., *In nativitate B. Mariae Virginis*, Sermo de aquaeductu, n. 8; *P. L.* 183, 441-442.

[123] S. Hieronym., *Epist.* 22, n. 18; *P. L.* XXII, 405.

tioraque sacerdotum, religiosorum sodalium sacrarumque virginum agmina, praesentibus Ecclesiae necessitatibus numero virtuteque paria, ad Dominicam excolendam vineam quam primum prodeant.

Hortamur praeterea — ut Apostolici officii Nostri conscientia postulat — patres matresque familias, ut libenter velint eos divino famulatui offerre, quos filios habeant ad illum suscipiendum vocatos. Quodsi hoc iisdem afferat aliquid oneris, maestitiae, aegritudinis, haec verba intento meditentur animo, quibus Ambrosius Mediolanenses admonebat matres: « Plerasque virgines cognovi velle et prohiberi etiam prodire a matribus... Si hominem vellent amare filiae vestrae, per leges possent eligere quem vellent. Quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet? »[124]

Considerent parentes quanto sibi honori sit suum filium cernere sacerdotio augeri, vel filiam suam Divino Sponso virginitatem devovere suam. Ad sacras virgines quod attinet idem Mediolanensis Episcopus haec habet: « Audistis, parentes... Virgo Dei donum est, munus parentis, sacerdotium castitatis. Virgo matris hostia est, cuius cotidiano sacrificio vis divina placatur » [125].

Nunc vero, antequam Encyclicis hisce Litteris finem facimus, cupimus, Venerabiles Fratres, mentem animumque Nostrum ad eos ad easque peculiari modo convertere, qui divino famulatui mancipati, in non paucis regionibus acres funestasque insectationes patiuntur. Sibi exemplum sumant ad imitandum ab illis primaevae Ecclesiae aetatis sacris virginibus, quae suae ipsarum virginitatis causa strenuo invictoque animo martyrium subiere [126].

Ii omnes quod sacrosanctum inierunt propositum serviendi Christo, in eo « usque ad mortem » [127] forti animo perseverent; ac prae oculis habeant suos angores suasque aerumnas et precationes magni esse pretii coram Deo ad eius regnum in suis regionibus in universaque Ecclesia instaurandum; itemque sibi certissimum habeant eos, qui « sequuntur Agnum quocumque ierit » [128] sempiternum in aevum « canticum novum » [129], edituros esse, quod nemo alius canere possit.

---

[124] S. Ambr., *De virginibus* lib. I, c. 10, n. 58; *P. L.* XVI, 205.
[125] *Ibid.*, c. 7, n. 32; *P. L.* XVI, 198.
[126] Cfr. S. Ambros., *De virginibus*, lib. II, c. 4, n. 32; *P. L.* XVI, 215-216.
[127] *Phil.*, II, 8.
[128] *Apoc.* XIV, 4.
[129] *Ibid.*, 3.

Nos autem erga eos, sive sacerdotes religiososque sodales, sive sacras virgines, qui quidem ad martyrium usque suam fidem strenue profitentur, paterno miserantique commovemur animo; ac non modo pro eis, sed pro iis etiam omnibus, qui in qualibet terrarum orbis parte divino servitio se omnino dedunt ac consecrant, supplices ad Deum admovemus preces, ut eos confirmet, roboret, consoletur; ac vos singulos universos, Venerabiles Fratres, vestrosque greges vehementer adhortamur ut, una Nobiscum comprecando, necessaria iis omnibus impetretis divina solacia divinaque munera et auxilia.

Quorum divinorum munerum conciliatrix esto, peculiarisque benevolentiae testis Apostolica Benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, ceteris sacrorum administris ac sacris virginibus, iis imprimis, « qui persecutionem patiuntur propter iustitiam » [130], ac cunctis e gregibus vestris christifidelibus amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXV mensis Martii, in festo Annuntiationis B. Mariae Virginis, anno MDCCCCLIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

(*A.A.S.*, vol. 46, pag. 161-191).

---

[120] MATTH. V, 10.

(*Adnotationes* ad relata documenta edentur in proximo fasciculo).

LITTERAE APOSTOLICAE

ORDINIS FRATRUM MINORUM CONSTITUTIONES APPROBANTUR ET CONFIRMANTUR

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Ad Evangelii rationem Sodales Franciscales seu Fratres Minores, ex Christi Domini suique Auctoris, « pauperis Asisinatis », disciplina, vitam componentes, civitati christianae suoque Ordini eximium decus attulerunt atque incrementum. Quod praecipue effecerunt, cum Regulam, a legifero illo Patre, Dei afflante numine, conditam et ab Apostolica Sede approbatam, adamussim observarent. Quo autem tam arduum atque egregium inceptum expeditius peragerent, ad eandem Regulam peculiares leges seu Constitutiones addiderunt, quibus germana Sancti Francisci instituta et Ecclesiae praecepta, de religiosa vita temporis successu data, magis explicarentur. Quae Constitutiones quanti sint momenti, quanta commendentur utilitate, ipsa Ordinis, quem diximus, historia comprobatur. Namque vix duodecim annis exactis a Sancti Francisci obitu, generalis Ordinis coetus, anno MCCXXXIX coactus, Constitutiones ab omnibus Sodalibus sanxit servandas, quas, novis auctas ordinationibus, Sanctus Bonaventura, cum universo Ordini moderaretur, perfecit, et in generali conventu, Narbone anno MCCLX acto, promulgavit, unde Constitutiones Narbonenses deinceps solebant appellari. Hae igitur leges, sapientiae et consilii in regendis sodalibus luculenta testimonia, pro praecipuis insequente tempore obtinebant. Id vero proprium fuit Ordinis Fratrum Minorum eas ad novas aetatum condiciones atque Ecclesiae normas accommodare, quemadmodum post Concilium Tridentinum, in generali coetu Toleti a. MDLXXXIII celebrato, factum est. Est etiam prae Nobis ferendum peculiaria statuta pro iis lata esse Familiis religiosis, quae, non quidem ab Ordine Franciscali seiunctae, austeriorem tamen vivendi rationem servabant. Hisce igitur nisa legibus, ampla Fratrum Minorum Sodalitas alta et magnifica protulit ad suum incrementum et ad communem Ecclesiae et Christifidelium fructum. Neque praetermittendum est Romanos Pontifices, Decessores Nostros, suam in hunc Ordinem propensam voluntatem pluries significasse eiusque profectui paterna cum caritate consuluisse, sive

Regulam legitime interpretando, ut Nicolaus Pp. III, Clemens Pp. V, Innocentius Pp. XI, sive novas Constitutiones provide condendo vel approbando, ut Martinus Pp. V, Eugenius Pp. IV, Iulius Pp. III, sive alia statuendo, ut Leo Pp. X, qui Ordinem bipartito sua divisit auctoritate, vetus eius sigillum attribuens Generali Ministro Fratrum Minorum. Qua nova cum rerum condicione ut leges convenirent, Fratres Franciscales, qui Minores nuncupantur, statim in generali Ordinis conventu, Lugduni anno MDXVIII celebrato, studiose effecerunt. Iuvat quoque memorare Leonem Pp. XIII, Decessorem Nostrum, sacra hac Religiosorum Sodalium Familia ad maiorem unitatem revocata, sublatisque ac deletis nominibus et peculiaribus statutis singularum eius partium, anno MDCCCLXXXVII unum corpus Constitutionum promulgavisse, quo universus Fratrum Minorum Ordo in posterum regeretur. Denique, quinquagesimo revoluto anno a praeclaro hoc Leonis Pp. XIII opere, Ordo Fratrum Minorum hoc iniit consilium ut Constitutiones iterum recognoscerentur, quo cum Ecclesiae ordinationibus hac aetate editis cumque iis magis congruerent, quae ad religiosam vitam sancte agendam et ad apostolicum munus utiliter obeundum nunc videntur necessaria vel opportuna. Quae quidem Constitutiones, in generali eiusdem Ordinis coetu anno MDCCCCLI Asisium advocato expensae, huic Apostolicae Sedi propositae sunt ut eiusdem auctoritate approbarentur. Idcirco Sacra Congregatio Religiosis Sodalibus praeposita, perspectis iuris nunc vigentis normis,, reputatisque iis, quae haec fecerunt tempora atque postulant, ita nova quaedam induxit ut Constitutiones illae, a peritis viris perscriptae, indolem Regulae Sancti Francisci veraque eiusdem legiferi Patris instituta quam maxime praeferrent. Ut autem, qui in numerum tertianorum Franciscalium ante quinquaginta amplius annos sumus ascripti, Nostram erga Fratrum Minorum Familiam eiusque Sodales benevolentiam et amorem declararemus, eius precibus de novarum Constitutionum approbatione et confirmatione satisfacere libenti animo decrevimus. Quapropter, e Sacrae Congregationis negotiis Religiosorum Sodalium praepositae consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitude, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Constitutiones Generales Ordinis Fratrum Minorum, iuxta exemplum, quod in Tabulario eiusdem Sacri Consilii asservatur, et cuius initium « Insignis Christi sectator » atque extrema sunt verba « quamprimum persolvantur », approbamus et confirmamus iisque Apostolicae sanctionis robur adicimus, et ut ab omnibus eiusdem Ordinis

Sodalibus ubique terrarum fideliter serventur, praecipimus ac mandamus. Hisce simul Litteris et auctoritate Nostra abrogamus et abrogatas esse declaramus eas leges, quae novo hoc Constitutionum exemplo non continentur. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces, semper exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Iulii, in festo Sancti Bonaventurae, Episcopi et Ecclesiae Doctoris, anno MDCCCCLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis
GILDO BRUGNOLA
a Brevibus Apostolicis

(*A.A.S.*, vol. 46, pag. 91-93).

ADNOTATIONES

1) Constitutiones generales singularum religionum generatim a S. Sede *decreto* S. C. de Rel. vel S. C. pro Ecclesia Orient. vel S. C. de Propaganda Fide approbari solent. Nonnunquam autem etiam *Litteris Apostolicis* approbantur et confirmantur, praesertim si agitur de Constitutionibus antiquorum Ordinum, sed interdum etiam Constitutiones recentiorum religionum hoc modo approbantur [2].

---

[1] *AAS*, 1954, p. 91-93.

[2] MAROTO, C. M. F., in *Comment. p. Rel.*, IX (1928), p. 294 sequentes Ordines et Congregationes affert, quarum Constitutiones recenter Litteris Apostolicis vel, ut in casu Ordinis Cartusiensis, Constitutione Apost. approbatae et confirmatae sunt: Congregationem Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V. (*AAS*, 1924, p. 354); Ordinem Cartusiensem (*AAS*, 1924, p. 385); Ordinem Cisterciensium strictioris observantiae (*AAS*, 1925, p. 64); Ordinem S. Joannis de Deo (*AAS*, 1927, p. 176); Ordinem Servorum Mariae (*AAS*, 1928, p. 224); Ordinem Sororum a Visitatione B. M. V. (*AAS*, 1928, p. 250); Congregationem Missionariorum Oblatorum Sanctissimae et Immaculatae V. M. (*AAS*, 1928, p. 341). Praeterea Litteris Apost. recenter confirmatae sunt Constitutiones Canonissarum Regularium S. Augustini a Domina

Confirmatio Constitutionum Litteris Apostolicis facta differt a confirmatione seu approbatione facta simplici decreto S. Congregationis non solummodo honore et dignitate, sed generatim etiam iuridico effectu. Decretum S. Congregationis enim non fit proprie actus Romani Pontificis, sed manet actus Congregationis, dum « Litterae Apostolicae feruntur nomine et auctoritate ipsius Pontificis tamquam proprium eius actum » [3]. Praesertim autem confirmationes Litteris Apost. factae a confirmatione facto decreto S. Congregationis eo differunt, quod confirmatio decreto ordinarie fit in forma communi tantum [4], dum confirmatio Litteris Apost. semper fere, saltem nunc, fit in forma specifica, quae non quod formam tantum est sollemnior, sed etiam Constitutionibus sic confirmatis maiorem vim firmiusque robur addit, ut infra dicetur. Hoc in ipsis Litteris Apost. sequentibus vel similibus verbis exprimi solet: « Approbamus et confirmamus iisque Apostolicae sanctionis robur adicimus » [5].

2) Sic Litteris Apost. « Ad Evangelii rationem », nunc etiam Constitutiones generales Ordinis Fr. Minorum approbatae et in forma specifica confirmatae sunt, ut ex textu confirmationis clare apparet: « Quapropter... certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine... Constitutiones

---

Nostra (*AAS*, 1928, p. 377) et Congregationis Casamariensis e Sacro Ordine Cisterciensi (*AAS*, 1943, p. 390). Addi possunt etiam Litterae Apost. « Paterna caritas », 12 Mart. 1933 (*AAS*, 1933, p. 245), quibus sic dictum Institutum Ordinis S. J., et Litterae Apost. « Pacis vinculum », 21 Mart. 1952 (*AAS*, 1952, p. 520), quibus sic dicta « Lex propria seu Constitutiones Confoederationis Benedictinae » confirmatae sunt, etsi duae ultimae leges aliquatenus differunt a Constitutionibus aliarum religionum. Juxta *Maroto*, l. c., fortasse etiam aliarum religionum Constitutiones sic approbatae sunt, quin tamen hoc iuris publici factum sit.

[3] Maroto, in *Comment. p. Rel.*, IX (1928), p. 295.

[4] Exceptionaliter nonnunquam etiam decreto S. Congregationis Constitutiones in forma specifica approbari possunt, ut constat ex approbatione Constitutionum O. F. M. anni 1913, quae quidem decreto tantum S. Congregationis approbatae sunt, sed cum effectibus qui confirmationi in forma specifica factae in doctrina attribui solent, ut clare apparet ex litteris hac occasione a Secretario Congregationis ad Ministrum generalem transmissis; cf. *AAS*, 1913, p. 184 et *Acta O. F. M.*, 1913, p. 148. - Cf. etiam E. Wagner, O. F. M., *De legibus Constitutionum gen. O. F. M. Codici I. C. contrariis*, in *Antonianum*, 1948, p. 262. - Eiusmodi approbatio in hoc casu fortasse explicari potest tum extraordinario modo quo hae Constitutiones compilatae sunt, tum fine quem habebant.

[5] Cf. v. g. confirmationem Constitutionum Confoed. Benedictinae (*AAS*, 1952, p. 521) et Constitutionum gen. O. F. M. (*AAS*, 1954, p. 93).

[6] *Opuscula S. P. Francisci Assisiensis*, Ad Claras Aquas (Quaracchi)[2] 1941, p. 24 ss. - De controversia quo modo haec Regula orta sit, breviter sed bene informat D. Mandic, O. F. M., *De legislatione antiqua O. F. M.*, Mostar 1924.

Generales Ordinis Fratrum Minorum... approbamus et confirmamus iisque Apostolicae sanctionis robur adicimus ». In Litteris Apost. breviter alluditur ad historicam evolutionem Constitutionum generalium in Ordine Fr. Minorum. Revera ab ipso initio in Ordine adunationes — nunc diceremus Capitula — fratrum locum habebant, in quibus normae pro vita religiosa et regimine Ordinis edebantur. Editio huiusmodi normarum ex ipsa rerum natura necessaria erat, quia prima Regula S. Francisci oraliter tantum ab Innocentio III approbata brevissima erat, ut constat, neque sufficiebat ad gubernandum Ordinem crescentem. Praecipuae huius temporis normae inveniuntur postea collectae in sic dicta Regula prima anni 1221, quae constat 23 capitibus, sed non est approbata a Sede Apostolica [6]. Quae in cap. XVIII huius Regulae de Capitulis generalibus Ordinis dicta erant accuratius postea determinantur in Regula definitiva — sic dicta Regula bullata, quia ab Honorio III Bulla « Solet annuere », 29 Nov. 1223, approbata — in cap. VIII, iuxta quod Capitula generalia quolibet triennio convocanda erant. In hisce Capitulis Constitutiones seu Statuta approbabantur et publicabantur, quae praeter Regulam ut leges Ordinis vim habebant. Particularis momenti initio Ordinis erat Capitulum generale anni 1239, cuius mentio fit expresse in Litteris Apostolicis. In hoc enim Capitulo, praeside ipso Romano Pontifice Gregorio IX et de eius consensu, lex constitutionalis fundamentalis Ordinis pro tempore futuro constituta est [7], vi cuius Capitulum generale est supremum Ordinis regiminis organum, praesertim quod ad potestatem legislativam attinet. Quamquam Constitutiones huius Capituli ut etiam Capitulorum sequentium usque ad annum 1260 nobis non sunt relictae in forma originali, quia promulgatis in Capitulo generali Narbonensi (1260) sic dictis Constitutionibus generalibus Narbonensibus, opera imprimis S. Bonaventurae confectis, omnes praecedentes Constitutiones ex praescripto ipsius Capituli ob finem disciplinarem destruendae erant, earum leges praecipuae inveniuntur in supradictis Constitutionibus Narbonensibus. Constitutiones Narbonenses constituunt primam Ordinis Constitutionum generalium collectionem nobis notam et sunt fundamentum omnium collectionum sequentium [8]. Ordo enim suas Constitutiones temporum exigentiis

---

[7] H. Holzapfel, O. F. M., *Handbuch der Geschichte des Franziskanerordens*, Freiburg i. Br. 1909, p. 171. (Versio latina : Holzapfel-Haselbeck, O. F. M., *Manuale historiae O. F. M.*, Freiburg i. Br. 1909, p. 152 ss. - Marius a Neukirchen, O. F. M. Cap., *De Capitulo generali in Primo Ordine Seraphico*, Romae 1952, p. 405 ss.

[8] S. Bonaventura, *Opera omnia*, VIII, p. 449 ss. - *Archiv. Francisc. Hist.* XXXIV (1941), p. 37 ss. - *Archiv f. Literatur u. Kirchengeschichte des Mittelalters*, VI, p. 87 ss.

iterum et iterum adaptavit, ut expresse in Litteris Apost. dicitur [9]. Constitutiones generales ordinarie a Capitulo generali qua supremo Ordinis organo legislativo approbabantur et vel ab ipso Capitulo vel ex Capituli mandato a Ministro generali promulgabantur, quin indigerent approbatione seu confirmatione Sedis Apostolicae. Ad augendam tamen earum dignitatem et firmitatem Ordo nonnunquam earum confirmationem a Sede Apostolica petivit et obtinuit. Sic, ut 2 tantum exempla afferam, sic dictae Constitutiones Alexandrinae (1500) ab Alexandro VI per Breve « Nuper attendentes », 7 Aprilis 1501 [10], et Constitutiones Salmanticenses (1553) a Julio III per Breve « Quum sint », 11 Oct. 1553 [11], confirmatae sunt. Haec Constitutionum Ordinis approbatio per Sedem Apostolicam non erat autem, ut supra dictum est, usque ad saeculum XIX obligatoria, sed ex parte Ordinis voluntarie petebatur. Sic etiam recenter Constitutiones generales anni 1890 non sunt a Sede Apostolica confirmatae, sed sola auctoritate Capituli generalis approbatae et promulgatae vim habebant. « Debito examine praemisso... in sessione capitulari diei 10 Oct. 1889 unanimi Patrum consensu dictae Constitutiones fuerunt admissae atque approbatae ac insimul fuit decretum, ut, praevia revisione a novo Definitorio Generali facienda, publicentur... Hoc... negotio sic ad felicem finem perducto, pro officii Nostri debito, auctoritate Capituli Generalis atque Nostra, vigore praesentis decreti praefatas Constitutiones generales Ordinis Minorum publicamus et vim legis habentes declaramus » [12]. Neque ad abrogationem vel mutationem Constitutionum consensus Sedis Apostolicae necessarius erat. In Constitutionibus generalibus decreto S. C. Ep. et Reg. 15 Maii 1897 approbatis autem primum mutatio Constitutionum propria Ordinis auctoritate prohibetur: « Nullus

---

[9] Elenchum Constitutionum gen. trium familiarum Seraphici Ordinis invenies apud M. a Neukirchen, O. F. M, Cap., *De Cap. gen. in Primo Ordine Seraphico*, Romae 1952, p. 506 ss. - De historica evolutione Constitutionum O. F. M. agit E. Wagner, O. F. M., in sua dissertatione, quae proxime publicabitur.

[10] P. Bihl, O. F. M., in *Archiv. Francisc. Hist.*, XVII (1924), p. 126/27.

[11] *Chronologia hist. - legalis Seraph. Ordinis*, vol. I (Neapoli 1650), p. 281.

[12] *Constitutiones generales O. F. M.*, Quaracchi 1891, p. V. - Quod ad necessitatem approbationis Constitutionum religiosorum per Sedem Apostolicam attinet, P. Larraona in *Comment. p. Rel.*, IV (1923), p. 137 dicit: « Ex regula generali adhuc necessarium non est, ut constitutiones a S. Sede probentur, et non plures, sed quidem aliquae, inveniuntur constitutiones a S. Sede non approbatae ». Et in nota 384 addit: « Adest obligatio pro *Congregationibus religiosis*, quae stylo et postea etiam documentis Curiae, fuit introducta, ab initio iam saeculi elapsi.... Pro *Religionibus anterioribus* non invenitur ullum praescriptum, imo usus generalis documentis Pontificum confirmatus et doctrina canonica vindicatus, de facto hoc ferebat, ut constitutiones *Religionis auctoritate* conficerentur ac vigerent ». Eum sequitur P. Maroto, in *Comment. p. Rel.*, XVIII (1937), p. 253, n. 93.

vero in Ordine nostro Superior, ne ipsum quidem Capitulum Generale, poterit aliquid adiicere, aut abrogare, vel immutare in his Constitutionibus sine Apostolicae Sedis approbatione » [13]. Haec norma partim explicatur temporum circumstantiis et fine quem hae Constitutiones habebant, ne scilicet unitas 4 familiarum Ordinis F. M. (Observantium, Reformatorum, Recollectorum, Discalceatorum) a Leone XIII Bulla « Felicitate quadam », 4 Oct. 1897, unitarum, pro quibus ipsae ut communes Constitutiones destinatae erant, iterum solveretur. Etiam in Constitutionibus sequentibus anni 1913, anno 1921 post revisionem ad normam decreti S. C. de Rel., 26 Iun. 1918, peractam, iterum promulgatis, haec norma recepta est, ita ut earum emendatio a speciali Ordinis membrorum commissione praeparata et a Capitulo generali 1951, additis nonnullis correctionibus, approbata Sedis Apost. quoque approbatione indigeret, quae decreto S. C. de Rel., 14 Jul. 1953 data supradictis Litteris Apost. « Ad Evangelii rationem » in forma specifica confirmata est.

3) Quae vis autem in concreto confirmationi in forma specifica factae attribuenda sit, auctores non conveniunt. Omnes admittunt quidem Constitutionibus hac confirmatione novum quoddam robur seu vim attribui. In quo autem consistit haec vis? Iuxta nonnullos auctores leges inferioris legislatoris confirmatione specifica S. Sedis mutantur in veras leges pontificias. Sic dicit Wernz: « E contra confirmatio in forma specifica transmutat decretum inferioris legislatoris v. g. Concilii prov. vel S. Congregationis in legem Superioris, v. g. Romani Pontificis » [14]. Hanc sententiam etiam Vidal in editione post Codicis promulgationem facta aliique receperunt [15]. Quod ad Constitutiones religiosorum in specie attinet, Kerckhove in suo notissimo commentario ad Constitutiones O. F. M. dicit: « Quia illa clausula « Ex certa scientia » habet vim ac si ista statuta de novo ab ipsomet Pontifice immediate forent edita, et de facto Papa facit illa sua, sic ut sine eius licentia nemo possit se intromittere » [16]. Recenter etiam Capobianco Constitutiones Ordinis Litteris Apostolicis « Ad Evangelii rationem » approbatas leges pontificias esse dicit [17]. Alii auctores autem non veram mutationem naturae iuridicae legum huic

---

[13] *Constitutiones generales O. F. M.*, Ad Claras Aquas (Quaracchi) 1897, n. 734.

[14] Wernz, S. I., *Ius Decretalium*[2], Romae 1905, I, n. 115.

[15] Wernz-Vidal, S. I., *Ius Canonicum*, Romae 1938, I, n. 168. - Van Hove, *Commentarium Lovaniense*, Mechlinae-Romae 1930, vol. I, tom. II, n. 342. - G. Michiels, O. F. M. Cap., *Normae generales*, Lublin-Polonia 1929, I p. 492.

[16] Kerckhove, O. F. M., *Commentarii in generalia Statuta Ordinis S. Francisci Fr. Minorum*, Gandavii 1700, cap. VIII, § 11, n. 6.

[17] Capobianco, O. F. M., *La nuova legislazione particolare dei Frati Minori*, in *Studi Francescani* 51 (1954) 1, 3-15.

confirmationi attribuunt, sed convalidationem harum legum in hoc sensu, quod hac confirmatione convalidantur in ipsis etiam ea, quae per se invalida sunt, quia competentiam legislatoris inferioris supergrediuntur. Sic Reiffenstuel, O. F. M., ad tit. XXX, lib. II dicit: « Et huiusmodi confirmatio facta ex certa scientia, novum ius tribuit actui; eumque si forsan antea invalidus fuisset, firmum reddit atque validum... Siquidem huiusmodi confirmatio ex certa scientia non est nuda et simplex confirmatio, sed potius est nova concessio atque in effectu dispensatio: ideoque vim habet actum ceteroquin nullum reddendi validum » [18]. Ad melius intelligenda huius sententiae argumenta iuvat hic breviter afferre quae Suarez de effectu confirmationis legis ab altiore auctoritate factae docet [19]. Suarez agit de hac quaestione in suo tractatu de potestate abrogandi leges. Quae ipse de abrogatione harum legum dicit, nunc generatim non sunt practici momenti, quia in ipsis Constitutionibus a S. Sede approbatis, sive in forma specifica sive in forma communi tantum, nunc generatim lege positiva determinatur, quod ipsae sine licentia S. Sedis abrogari vel mutari non possunt. Argumenta autem quae Suarez hac occasione de vi confirmationis actus iuridici per Superiorem altioris gradus affert, etiam pro nostra quaestione consideratione digna sunt. Suarez praeter distinctionem confirmationis in forma communi et in forma specifica distinguit confirmationem essentialem et accidentalem. « Essentialis vocatur, quando est veluti forma dans esse legi, ut quando inferiores non habent potestatem statuendi seu ferendi legem, quae vim habeat, nisi prius a superiore confirmetur. Accidentalis autem vocatur, quando inferior habet potestatem ferendi veram legem, quae talis sit, et vim habet obligandi, et nihilominus ad maiorem auctoritatem et robur confirmationem petit » [20]. De hac secunda forma confirmationis Suarez affert verba Baldi: « Talem legem, etiam a Papa confirmatam, non esse papalem, sed semper manere in propria specie statuti, vel (ut sic dicam) legis quasi municipalis: ergo per talem confirmationem non est lex illa facta irrevocabilis a propriis auctoribus, quia non mutavit naturam suam, nec procedit per se a iurisdictione papali. Item confirmatio illa non est constitutiva talis legis, sed potius supponit illam constitutam, et addit quamdam so-

[18] Reiffenstuel, O. F. M., *Ius Canonicum*, lib. II, tit. XXX, n. 7. - Similiter *Schmalzgrueber, S. I., Ius Ecclesiast. Universum*, ad eundem titulum, n. 4.

[19] Auctores primae sententiae generatim Suarez pro propria sententia citant. Attamen doctrina Suarez, etiamsi possibilitatem primae sententiae admittat, magis secundae sententiae favere mihi videtur.

[20] Suarez, S. I., *Tractatus de legibus*, lib. VI, cap. 26, n. 17 (Opera omnia, Parisiis 1856, tom. 6, p. 125).

lemnitatem accidentalem ad maiorem statuti approbationem et auctoritatem ». His verbis Baldi ipse Suarez addit: « Haec ergo sententia videtur mihi vera per se loquendo, id est, nisi aliud constiterit de voluntate principis, qui licet eius confirmatio non petatur ut necessaria, nihilominus *poterit* ipse, *si velit*, legem facere suam... Oportebit autem ut de tali voluntate principis satis expresse constet » [21]. Ad eandem conclusionem ac Suarez et Reiffenstuel venit Montalvus, commentator Constitutionum O. F. M. Etiam iuxta Montalvum effectus confirmationis in forma specifica non consistit in mutationem naturae iuridicae legis confirmatae, sed in eius convalidatione, et quidem in iis quoque quae in hac lege sunt contra ius commune. « Effectus confirmationis specificae seu ex certa scientia, ut habet Fr. Emmanuel Rodriguez... sunt, quod res confirmata fit firmioris authoritatis: et si minus valida antea erat, per confirmationem fiat valida... Unde statuta facta contra ius commune... per confirmationem Apostolicam in forma specifica valida et firma sunt » [22]. Et expressius alio loco: « Nec Papa per suam confirmationem dicitur facere Statutum suum in ratione Statuti, sed tantum in ratione firmitatis, quatenus si est invalidum facit illum esse velidum per suam confirmationem in forma specifica » [23]. Has regulas applicans ad Constitutiones Ordinis continuat: « Ex quibus constat, quod confirmationes Pontificiae in forma specifica nostro Ordini concessae quoad sua Statuta praecipue ordinantur ad hoc, ut talia Statuta firmitatem obtineant, ita ut si aliqua non sint valida, virtute talis confirmationis robur et valorem habeant; non vero illis Statutis talis confirmatio *esse* Statutorum confert, cum ea jam Statuta supponat, et ut talia *jam constituta* approbat et confirmat » [24]. Recte ergo Wagner doctrinam Montalvi interpretatur dicens: « Tali nempe confirmatione lex non fit *ipsa* pontificia, sed *vi* tantummodo induitur legis pontificiae, actum inferioris legislatoris non facit proprium Summi Pontificis, sed eundem tantum sanat et corroborat » [25].

---

[21] Suarez, l. c., n. 22.

[22] Montalvus, O. F. M., *Glossa fundamentalis Statutorum Cismontanae Familiae Ord. Minorum*, Matriti 1740, vol. II, p. 441, n. 4.

[23] Montalvus, l. c., p. 442, n. 10.

[24] Montalvus, l. c. p. 443, n. 13.

[25] E. Wagner, O. F. M., *De legibus Constitutionum generalium O. F. M. Codici Iur. Can. contrariis*, in *Antonianum*, 1948, p. 265. - Cf. etiam Gambara, *S. M. M.*, in *Comment. p. Rel.*, XXXIV (1953), p. 242, nota 2, commentando « Legem propriam seu Constitutiones Confoed. Benedictinae »: « Cum agatur de Constitutionibus ornatis approbatione in forma specifica data, rectius nomen legis merentur, strictius enim *efficaciam* propriam legibus pontificiis sortiuntur ». Et hae Constitutiones magis tamquam lex a S. C. de Rel. facta considerari possent quam

Secunda sententia mihi praeferenda esse videtur. Haec sententia enim *condicioni iuridicae* religionis clericalis exemptae magis consentire videtur, cuius privilegium praecipuum in eius potestate iurisdictionali et praesertim eius parte eminenti, i. e. in potestate legislativa consistit: etsi haec potestas etiam iuxta primam sententiam non quidem abrogetur, iuxta secundam sententiam tamen magis salvata apparet. Praeterea iuxta hanc sententiam melius explicatur *obligatio* Constitutionum, quae iuxta doctrinam communem generatim non sub culpa, ut leges papales in genere, sed sub poena tantum obligant. Quapropter etiam ipse Vidal, qui, ut supra dictum est, sententiam primam de effectu confirmationis specificae in genere sequitur, in iure religiosorum hanc doctrinam restringit dicens: « Si vero Constitutiones sint approbatae a Rom. Pontifice in forma specifica, ipsis tribuitur vis aut legis particularis Pontificiae, quae iuri communi contraria esse potest, aut potius privilegii praeter vel contra ius commune, cum Rom. Pontifex non intendat in danda tali approbatione convertere Constitutiones in veras leges Pontificias sub peccato obligantes » [26]. Similiter iam Suarez dixerat: « Quia tamen princeps, ut dixi, sic confirmando legem, potest illam suam facere, magis id praesumi potest in lege pertinente ad publica commoda, quam de pertinente ad proprium commodum statuentium. In neutra autem id est facile praesumendum, nisi ex verbis confirmationis constet » [27].

P. Adolfus Ledwolorz, O. F. M.

Constitutiones ab ipso Capitulo religionis clericalis exemptae qua organo legislativo factae et approbatae.

[26] Wernz-Vidal, S. I., *Ius canonicum*, Romae 1933, III, n. 48.

[27] Suarez, S. I., l. c., n. 23.

ACTA OFFICIORUM

SEGRETERIA DI STATO

Sua Santità Pio XII, nell'Udienza del 28 ottobre 1953, concessa al sottoscritto Pro-Segretario di Stato della medesima Santità Sua per gli Affari Ordinari, Si è degnata di approvare l'unico Statuto della Fondazione Pio XII per l'apostolato dei Laici.

G. B. Montini

I — E' fondata ed eretta nella Città del Vaticano la Fondazione Pio XII per l'apostolato dei Laici.

La Fondazione ha personalità giuridica propria.

II — Scopo della Fondazione è di provvedere all'amministrazione del patrimonio iniziale della Fondazione medesima e dei beni mobili e immobili che ad essa in futuro saranno trasferiti per sostenere e promuovere le opere internazionali cattoliche dell'apostolato dei Laici.

III — La Segreteria di Stato assume la vigilanza sulla Fondazione.

IV — La Fondazione è amministrata da un Consiglio di Amministrazione composto da cinque membri, che saranno nominati dalla Segreteria di Stato. Il Consiglio elegge nel suo seno un Presidente, un Vice-Presidente e un Delegato.

V — La Segreteria di Stato nomina un Collegio di Revisori composto di tre membri effettivi e due supplenti, i quali debbono effettuare verifiche periodiche, amministrative e finanziarie, l'esame dei bilanci preventivi e consuntivi annuali e redigere le relazioni da presentarsi alla Segreteria di Stato.

La Segreteria di Stato approva i bilanci preventivi e consuntivi della Fondazione.

VI — Per tutti gli effetti giuridici la Fondazione è rappresentata congiuntamente dal Presidente e dal Delegato del Consigio di Amministrazione.

VII — La Fondazione emanerà un proprio Regolamento interno, da approvarsi dalla Segreteria di Stato.

VIII — Il presente Statuto sarà pubblicato negli « Acta Apostolicae Sedis ».

(*A.A.S.* vol. 45, pag. 821).

ADNOTATIONES

Notiones Historicae.

Quindecim anni gloriosi Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri PII PP. XII inter alia plurima, de incessabili sollicitudine Supremi Pastoris circa omne genus Operum Apostolatus Laicorum testantur, in quibus Christifideles, hierarchia ecclesiastica moderatore et duce, generosos adiutores operariosque se praebent in Vinea Domini.

Paulo enim postquam ad Cathedram Petri evectus, in Litteris Encyclicis « Summi Pontificatus », paterno cum affectu ad fideles, qui in Actione Catholica cooperant, locutus est: « Quando quidem, proh dolor, sacerdotes hodie numero pauciores sunt quam eorum munera expetunt, et in nostram quoque aetatem haec Divini Salvatoris sententia convenit « messis quidem multa, operarii autem pauci » [1], consociata illa laicorum hominum navitas, ecclesiasticae hierarchiae praestita, quae sit cotidie increbrescens ac nobili ardentique se devovendi studio animata, auxiliares opes sacrorum administris praebet paretiosissimas, atque eiusmodi profectus spondet, qui optime sperare iubeant » [2]. Et paulo post prosequitur: « In omnibus civium classibus atque ordinibus eorum adiutrix navitas, sacrorum administris data, vires exserit praetiosissimas, quibus id muneris committitur, quod nobilissimus nemo ac fidelissimus nec pulcrius, nec maioris solacii optare possit. *Apostolicus hic labor*, ex Ecclesiae afflatu ac normis exantlatus, *ea ratione laicos homines quasi Christi administros consecrat...* » [3].

Iterum occasione Consistorii semi-publici die 20 Februarii 1946 celebrati munus laicis in apostolatu incumbens indigitans, ipsos adhortabatur: « I fedeli e più precisamente i laici, si trovano nella linea la più avanzata della Chiesa; per loro la Chiesa è il principio vitale della società umana, perciò essi specialmente essi, debbono avere una sempre più chiara consapevolezza non solo di appartenere alla Chiesa, ma di essere la Chiesa, vale a dire la comunità dei fedeli sulla terra sotto la condotta del Capo comune, il Papa, e dei vescovi in comunione con Lui. Essi sono la Chiesa, perciò fin dai primi tempi della sua storia, i fedeli, con consenso dei loro Vescovi, si sono uniti in associazioni particolari, concernenti le più diverse manifestazioni della vita. E la Santa Sede non ha mai cessato di approvarle » [4].

---

[1] Matth. IX, 37; Luc. X, 2.
[2] A. A. S. vol. XXXI (a. 1939) p. 443
[3] eodem loco p. 443-444.
[4] A. A. S. vol. XXXVIII (a. 1946) p. 149.

Cum variae associationes catholicae in omnibus fere nationibus talem gradum evolutionis attigerint, ut fines dioeceseos transgredientes organa superiora emanaverint, novissimis hisce annis navem Ecclesiae gubernantibus urgens apparuit necessitas coordinandi has associationes earumque activitates.

Rebus sic stantibus, Sancta Sede inspirante et approbante 2 Officia orta sunt, quae progressum incrementumque Apostolatus Internationalis Laicorum promoveant; qui sunt:

1) « Comitato Permanente dei Congressi Internazionali per l'Apostolato dei Laici » cum sede in Urbe.

2) « Sécrétariat permanent de la Conférence des O.I.C. » Friburgi Helvetiorum.

Cum autem Apostolatus laicorum mandatum et regimen ex parte hierarchiae ecclesiasticae secumferat, omnia ista Opera et Associationes internationales ex rei natura a Sancta Sede regi et gubernari oportere omnino patet.

Ut omnibus necessitatibus horum operum vel associationum officiorumque — materialibus non exclusis — subveniri possit, Fundatio specialis orta est, nomine PII Papae XII insignita, quae bona hisce operibus ad subsistendum necessaria administraret. Quae Fundatio novissime a Sancta Sede speciali Statuto munita est, de quo hic nobis breviter loquendum [5].

DE FINE FUNDATIONIS

Obiectum formale Fundationis paragrapho secunda Statuti non ambigue proponitur: « Scopo della Fondazione è di provvedere all'amministrazione del patrimonio iniziale della Fondazione medesima e dei beni mobili ed immobili che ad essa in futuro saranno trasferiti per sostenere e promuovere le opere internazionali cattoliche dell'apostolato dei Laici ».

Ex dictis duplex Fundationis finis facile distingui potest:

1. - Primus qui est *directus* in administratione bonorum, quae in Fundationis proprietatem transferentur, consistit.

2. - Secundus, qui est *indirectus*, ponitur in dispositione vel distributione redituum ex dictis bonis provenientium ad opera apostolatus internationalis laicorum provehenda.

---

[5] A. A. S. Vol. XXXXV (1953) p. 821

DE FINE DIRECTO

De bonis Fundationis administrandis Statutum satis clare loquitur. Ut ex eadem paragrapho secunda patet, bona Fundationis duplicis naturae esse possunt:

1. Patrimonium initiale;

2. Bona in proprietatem Fundationis transferenda.

Patrimonium initiale a Sancta Sede una cum Fundationis erectione constitui videtur. Non determinatur hujusce patrimonii initialis valor aut natura, nec specificatur fons *bonorum mobilium vel immobilium* quae *in proprietatem Fundationis transferentur*. Supponere tamen licet haec bona ex generosa SS. Pontificum, Episcoporum, Christique fidelium liberalitate esse obventura, eo quod Fundationis finis ob religionem (agitur de apostolatu) ad omnes catholicos spectat, totumque orbem terrarum amplectitur (est enim apostolatus internationalis). Et in hoc sensu Statutum iam commentatum fuit: « Entre estos informes hay dos que merecen especial mención. El primero, concerniente a la Fundación Pio XII, instituida por la Santa Sede para financiar los trabajos de las Organizaciones Internacionales Católicas. Le Cour Grandmaison afirmó que la Santa Sede, través de las nunciaturas apostólicas, se habia dirigido a los episcopados de todo el mundo pidiendo su colaboración para formar el patrimonio inicial de la Fundación PIO XII, suscitando la generosidad de los fieles católicos, a fin de que en el plano mundial el apostolado seglar disponga de los recursos económicos indispensables para realizar su cometido » [6].

DE FINE INDIRECTO

De modo, quo subventiones in utilitatem operum Apostolatus Internationalis Laicorum distribui debeant, nihil explicite in statuto invenitur nisi quod Fundationis auctoritas approbatione a Secretariatu Status Sanctitatis Suae indiget ad has distributiones peragendas.

Ex verbis tamen paragraphi quintae: « La Segreteria di Stato nomina un Collegio di Revisori composto di tre membri effettivi e due supplenti, i quali debbono effettuare verifiche periodiche, amministrative, e finanziarie, l'esame dei *bilanci preventivi e consuntivi annuali* e redigere le relazioni da presentarsi alla Segreteria di Stato » arguere licet Consilio Administrativo competere,

---

[6] Cf. « Elección de España para la Presidencia de la Federación Internacional de Hombres Católicos » - [*Ecclesia*, Num. 663 (1954) p. 15 - Madrid].

sine aliqua limitatione vel praecedentia ex parte alicujus operis vel associationis apostolatus internationalis laicorum, libere subsidia distribuere, Secretariatu Status Sanctitatis Suae approbante.

Secundum praescripta C.I.C., quibus fundationes ecclesiasticae reguntur administratio in subsidia solummodo reditum seu proventum bonorum versari debet. [7] Videtur tamen possibile quod urgente necessitate, Secretariatu Status Sanctitatis Suae, cui vigilantia Fundationis paragrapho tertia commissa est, consentiente, etiam pars patrimonii initialis in subsidia converti possit — est enim Secretariatus Status Sanctitatis Suae Officium Sanctae Sedis in casu competens, ut infra dicetur de alienatione bonorum.

DE ASSOCIATIONIBUS SEU OFFICIIS APOSTOLATUS INTERNATIONALIS LAICORUM, QUIBUS EX FUNDATIONIS AERARIO SUBSIDIA LARGIRI POSSUNT.

Supradicta paragraphus secunda specificat Fundationem ad subveniendum et provehendum opera Apostolatus Internationalis Laicorum destinatam esse. Ex quibus patet Fundationem subsidia iis operibus largiri posse, in quibus infradicendae tres qualitates verificantur. Debent enim opera ista esse:

1. - CATHOLICA - (non solum catholicorum) scilicet opera a legitima Auctoritate Ecclesiastica approbata et ab ea dependentia.

2. - INTERNATIONALIA - Excluduntur proinde a percipiendis subsidiis opera a charactere diocesano, interdiocesano vel etiam nationali. Non dicitur an agatur de Operibus Internationalibus in sensu stricto, i. e. de associationibus ad quas fideles seu opera ex omnibus nationibus potentialiter saltem aggregari possint, vel in sensu lato, i. e. associationibus ad quas membra ex una vel altera natione aggregantur.

Nihilominus ex charactere universali Fundationis sequitur quod opera Apostolatus Internationalis Laicorum in sensu stricto ex rei natura prioritatem quamdam habere debent.

3. - APOSTOLATUI LAICORUM DEDITA - Nonobstante ipsius rei, quae nostris temporibus nomine Apostolatus Laicorum designatur, antiquitate (cum ipsa enim Ecclesia suum sumpsit exordium), satis difficile evadit iuridicam adaequatamque Apostolatus Laicorum definitionem proponere. In Codice Iuris Canonici vocabulum « Apostolatus Laicorum » non invenitur, sed terminus iste persaepe occurrit in documentis Pontificiis nostri aevi. (Cf. praesertim Allocutionem S.D.N. Pii PP. XII ad Primum Conventum A. L. ex omnibus gen-

[7] Cf. Can. 1523, 3°.

tibus Romae a. 1951 adunatum [8]). Proinde terminus iste « Apostolatus Laicorum » a iurisprudentia ecclesiastica amplius praetermitti nequit. Non possumus in loco isto ampliorem sermonem de Apostolatus Laicorum natura eiusque theologico et iuridico fundamento in Ecclesia, propter argumenti nostri singularitatem, tenere [9]. Sufficit tamen ad Statutum nostrum commentandum declarare: Apostolatum lato sensu [10] in actibus consistere, quibus ex praedispositione divina et auctoritatis ecclesiasticae mandato, in animabus proximorum dispositio formari conatur, qua proximi isti facilius ad gratiam accedant et in illa perseverent [11]. Apostolatus ille secundum Ecclesiae gubernantis voluntatem quodammodo laicis committi potest. Opera ergo et associationes, quae ad hanc missionem suscipiendam instituuntur, *si praesertim ex laicis componuntur*, nomine proprio Apostolatus Laicorum merito glorificantur. Exinde excluduntur a subsidiis Fundationis opera Apostolatui dedita, quae characterem Ordinis, Congregationis vel Instituti Religiosi non clericalis, etiam sine votis, habent, quamvis in Codice Institutum nomine « laicorum » insignitum fuerit.

Animadvertendum est, Statuti verba « per sostenere e promuovere » (paragrapho secunda) significare videntur, subsidia tum in opera vel associationes iam existentes, quae assistentia materiali indigent, tum ad opera nova erigenda verti posse, quandocumque necessitas vel opportunitas ipsorum ab Auctoritate ecclesiastica competenti recognita fuerit.

DE FUNDATIONIS NATURA

Fundatio nostra erecta est ab Ipso Summo Pontifice in audientia, die 28 Octobris 1953 Pro-Secretario Status Sanctitatis Suae pro Negotiis Ecclesiasticis Ordinariis, concessa. Vi Statuti (paragraphi primae) habet personam iuridicam propriam et praesertim iuris ecclesiastici. Dicimus « praesertim iuris ecclesiastici » quia ex eadem paragrapho prima arguere licet Fundationem eo quod in Civitate Vaticana erecta sit, etiam personam iuris civilis Status Vaticani sortiri.

Proinde protectione iuris civilis internationalis iis in Statibus

---

[8] Actes du Premier Congrès mondial pour l'Apostolat des laïcs, vol. I p. 33 - 43, Roma, 1952.

[9] De argumento ampliori modo pertractato, cf.: *Spiazzi*, R., « La missione dei Laici », ed. 2a, Roma, 1953.

[10] Sensu enim stricto Apostolatus in exercitio potestatis consistet, qua D. N. Jesus Christus Petrum et Apostolos, eorumque successores, induit.

[11] Cf.: S. Thomas, « Summa Teologiae » Ia IIae, q. CXI, a. 1, 4, 5.

gaudet, qui institutis iuris canonici legalem characterem inique denegant.

Fundatio essentialiter cum Secretariatu Status Sanctitatis Suae ligata est, eo quod in auctoritatum suarum nominatione et attributorum exercitio totaliter ab Officio isto Sanctae Sedis dependet.

DE FUNDATIONIS AUCTORITATIBUS EARUMQUE COMPETENTIA.

Fundatio sequentia organa habet:

1. Consilium administrativum.
2. Collegium Revisorum.

Membra utriusque organi libere nominantur a Secretariatu Status Sanctitatis Suae (paragraphus IV). Eodem modo Secretariatus Status ius habere videtur revocandi ad nutum nominationem concessam — tempus enim quo munera utriusque Organi durant non determinatur — et procedendi ad alias.

Consilium administrativum est organum proprium Fundationis et componitur ex 5 membris. Ius ipsi est eligendi Praesidem, Vice-Praesidem et Delegatum (§ IV). Praeses et Delegatus repraesentant coniunctim Concilium Administrativum et ipsi exclusive actus legitimos cum omnibus effectibus iuridicis pro Fundatione ponere valent. Ad *validitatem* actuum, ut ex § VI-a patet, delegatio praevia ex parte Consilii vel praevia authorisatio ad casum a Secretariatu Status requiri non videtur, exceptis casibus in Iure Canonico reservatis. Ad Regulas Internas, de quibus in § VII-a, pertinebit conditiones determinare, in quibus Praeses Consilii, una cum Delegato, actus nomine Fundationis *licite* ponere poterit. Attamen haec Regulae Internae non possent invalidos reddere actus initos respectu aliorum ad normam § VI-ae.

Sicut tamen quaelibet Fundatio iuris ecclesiastici etiam Fundatio nostra limitatur in alienatione bonorum praescripto can. 1530 et sqq. C. I. C., qui ad validitatem alienationis requirunt authorisationem Sanctae Sedis (Cf. can. 1532 § 1,1°), vel Ordinarii loci (Cf. can. 1532 § 2 et § 3). Cum Fundationis sedes sit in Statu Civitatis Vaticanae, ergo in diocesi Summi Pontificis, utrique praescriptioni satisfiet permissione ab Ipso concessa. Ex § III-a sequitur quod Officium competens Sanctae Sedis relate ad elargitionem permissionis requisitae in alienatione horum bonorum et quidem quoad validitatem alienationis, est Secretariatus Status Sanctitatis Suae. Consilii administrationis erit etiam praestabilire — secundum Regulas Internas — « i bilanci preventivi e consuntivi » qui examinari debent a Collegio Revisorum et approbatione indigent a Secre-

tariatu Status S.S. Consilio administrativo pariter incumbit praesentare Secretariatui Status S.S. schemata, secundum quae subsidia distribui debeant.

Consilii administrativi membra etiamsi singuli maxima competentia polleant in solvendis quaestionibus, hodie iam maxime perplexis, quae ad incrementum operum Apostolatus Internationalis Laicorum pertinent, utiliter recurrere poterunt ad peritos in opere Apostolatus Internationalis Laicorum totius Orbis Catholici, ut Fundatio finem suum fructuose prosequi valeat. Quamvis nullum peritorum Consilium proponitur, verisimile videtur, ut Regulae Internae huiusmodi concursum personarum, hac in rerum materia maxima experientia praeditarum, instituant.

Statutum Fundationis, quae ad aeternam rei memoriam Nomine PII PP. XII insignita, publicatione in A.A.S. d. 16. XII. 1953, in personam iuridicam erigitur, novo splendore exornat magnificum opus totius Pontificatus Pastoris Angelici, in hunc inter alia finem expensum, ut non solum apostolatus singulorum Christifidelium sed etiam varia apostolatus opera associationesque, quibus provehendis Fundatio maximi erit adiumenti, semper magis in dies prosperent ad animarum salutem totiusque orbis terrarum utilitatem et pacem.

D. Andreas Maria Deskur
S. Theologiae Doctor ac Iuris Magister

D. Edmundus Ulinski
S. Theologiae Lic. ac Utriusque Iuris Doctor

Commentarium sollicitudine et cura redactum fuit D.ni Doctoris Victorini Veronese a Secretis « Comitato Permanente dei Congressi Internazionali per l'Apostolato dei Laici ».

JURISPRUDENTIA
SACRÆ ROMANÆ ROTÆ

SACRA ROMANA ROTA

Coram R. P. D. Pericle Felici, Ponente

FULDEN.

Nullitatis Matrimonii

Sententia diei 8 iunii 1954

In Jure. - 3. Uno spectato iure naturali, nulla peculiaris forma exigitur ad emittendum validum consensum matrimonialem: sufficit ut nupturientes positivum manifestent actum voluntatis quo sibi inter se tradunt et acceptant ius in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem.

Cum tamen matrimonium sit institutum sociale maximi ponderis multaque et gravia inducat in societate consectaria, sit insuper sacramentum novae legis, merito ecclesia constituit aliquas formalitates quibus validitati consensus consulatur rectius, de eodemque publice constare possit.

4. - Varias habuit vices formae matrimonii institutum, quas hic recolere non vacat. Hodie ea tantum matrimonia valida sunt, iuxta can. 1094, quae contrahuntur coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus, secundum tamen regulas in canonibus expressas et salvis exceptionibus de quibus in can. 1098, 1099. Hac igitur forma non tenentur (nisi tamen contrahant cum fideli huic legi obnoxio) infideles, qui hac in re propria cuiusque nationis praescripta observant, catholici orientales, qui suas leges sequuntur, tandem acatholici baptizati, ii videlicet qui extra catholicam ecclesiam baptizati sunt. In hos quidem novissimos posset ecclesia catholica, quae una est vera Ecclesia, omnibus igitur baptizatis imperare valet, observationem debitae formae urgere: at non facit, ne multiplicentur peccata et invalida connubia. Ex hoc tamen non sequitur ecclesiam pro huiusmodi acatholicis adprobare, eoque minus ad valorem retinere formam propriam nationis vel religionis, ad quam huiusmodi acatholici pertinent: et si aliquando talem formam prae oculis habet, id facit ut certior fiat de emisso valide, iuxta ius naturale, matrimoniali consensu.

5. - Practice igitur pro his acatholicis unum ius naturale urget. Ad rem De Smet: « Matrimonium civile inter baptizatos vel inter fidelem et infidelem civiliter celebratum, qua tale et in se specta-

tum, est habendum pro pseudo-matrimonio, ac imo pro vera formalitate, absque ullo valore in se. Etenim matrimonium inter personas quarum alterutra saltem pars est baptizata penitus subducitur regimini principis civilis ac solius ecclesiae regimini existit obnoxium; adeoque matrimonium civile qua tale non habet pro dictis personis rationem veri matrimonii, sed meram constituit formalitatem civilem, ad solos effectus civiles ordinatam, praesupponentem vinculum canonice validum. Dicitur: matrimonium civile qua tale et in se spectatum. Potest namque in intentione contrahentium iniri matrimonium civile, non tanquam caeremonia ad meros effectus civiles ordinata, qualis est in rerum obiectivitate, sed tanquam verum matrimonium. Tunc autem si contrahentes exempti sunt a lege clandestinitatis, valide contrahunt, seposito quovis impedimento canonico dirimente: non quia servantur formalitates legis civilis, sed quia sponsi, dum illas formalitates observant, consensum emittunt vere matrimonialem, naturaliter validum » (*De sponsalibus et matrimonio*, n. 461). Profecto S. P. Leo XIII in Enc. *Arcanum* d. 18 febr. 1880 edocet coniunctionem « viri et mulieris inter christifideles, citra sacramentum..., quamvis convenienter legibus civicis facta sit, tamen valoris pluris esse non posse quam ritum aut morem iure civili introductum » (cfr. etiam Benedicti XIV, Ep. *Redditae sunt Nobis*, d. 17 sept. 1746, § 3: *Folium* in causa *Argentina*, d. 23 febr. 1912, in AAS, IV, p. 380 ss.).

6. - Quotiescumque igitur cadit quaestio de valore consensus emissi in ritu civili, sive agitur de iis qui lege clandestinitatis non tenentur, sive agitur de examinanda perseverantia consensus pro concessione sanationis in radice, non unus ritus civilis prae oculis habendus est, quasi hic evincat cum certitudine legitimitatem consensus: sed simul, imo et praecipue, exploranda est mens illius qui ritui civili se subiecit. Unde etsi inter sponsos lege clandestinitatis non ligatos et religiosum matrimonium negligentes praesumptio stet pro matrimonii valore, praesertim si, ut inter protestantes, ipsa eorum religio valorem tribuat matrimonio civili (cfr. S. Officii Ep. ad Archiep. Coloniensem d. 2 iulii 1892: S. R. Rota in una Null. matr. d. 30 iunii 1922 c. *Prior*): huiusmodi tamen non est nisi praesumptio, ita ut sit in singulis casibus diligenter exploranda mens contrahentis (cfr. S. Officium d. 6 sept. 1876: Wernz-Viral, *Ius canonicum*, V, n. 590; Heiner, *Gultigkeit oder Ungultigkeit der Civilehen*, p. 483 sqq.; De Smet, op. cit., n. 461 etc.). Haec quidem intentio, vero matrimonio forte contraria, non sufficit affirmetur a partibus, neque per se evincitur erronea opinione alterius vel utriusque partis, putantis coram civili vel acatholico ministro matrimonium valide contrahi non posse: non enim error semper in-

fluit positive in voluntatem et, si habeatur praevia intentio generalis matrimonium verum, non concubinatum, ineundi, huiusmodi error tanquam mere concomitans, itaque nil prorsus in voluntatem valens, habendus est (cfr. Null. matr. d. 30 iunii 1922, c. *Prior*). Id ceterum docetur in Instr. S. C. de Prop. Fide ad Vicar. Apostol. Constant. diei 1 oct. 1785 (*Collectan. S. C. P. F.*, I, 580): « Per gli altri; ... i quali hanno volontà di prendere una vera moglie, ma sono nell'errore che non sia sufficiente al valore del matrimonio di presentarsi innanzi al giudice turco, ma se sapessero la sufficienza di questo loro atto a contrarre il matrimonio vero, intenderebbero senz'altro contrarlo, la S. C. ha deciso che questi matrimonii siano validi, quando non c'intervenga qualche altro impedimento... Il loro errore... non può renderlo nullo; imperocchè non concerne nè appartiene alla sostanza del matrimonio... ma cade solo nella sua forma e solennità ».

7 - Voluntatem tamen celebrandi meram caeremoniam, absque ulla intentione ineundi veri coniugii, bene demonstrare possunt sive fides vel habitus mentalis contrahentis, qui nonnisi in matrimonio religioso, iuxta sui populi vel religionis sententias, validam habet matrimonii celebrationem: sive modus sese gerendi praesertim cum sua comparte post positum ritum civilem, a legitimis nuptiis prorsus alienus.

8 - In his igitur examinandis sistet merito iudex: hisce tanquam validis praesumptionibus adhaerebit (cfr. Lega, *Comm. in* iudicia eccl., vol. II, nn. 8, 9, pag. 821 sq.). Ut numquam valet illa libera probationum aestimatio qua permotus index, secundum acta et probata, ius edicet: « Il giudice deve —senza pregiudizio delle ... prescrizioni processuali— decidere secondo la sua propria scienza e coscienza se le prove addotte e la inchiesta ordinata sono o no sufficienti, bastevoli cioè alla necessaria certezza morale circa la verità e la realtà del caso da giudicare » (Pius pp. XII in *Allocut. ad Prael. Audit. etc. S. R. Rotae*, d. 1 oct. 1942).

Illud insuper est ex citata Allocutione recolendum moralem certitudinem obtineri etiam posse pluribus indiciis et probationibus, quae parum efficiant singula, at veritatem simul sumpta et cribrata demonstrare satis possint: non quod illogicus fieri valeat transitus de probabili ad certum, ob simul cumulatas probabilitates: sed quia tot cumulata de una eademque re indicia nonnisi si res ipsa vera sit explicari bene valent. Quapropter immerito argueretur iudex qui ediceret rem sibi non ex singulis, sed ex omnibus simul sumptis et certis probatam esse indiciis.

In facto (omissis)

Decisio fertur pro nullitate.

Coram R. P. D. Joanne M. Pinna, Ponente

prot. n. 5623

S. ANDREAE ET EDIMBURGEN

Nullitatis Matrimonii

Querelae nullitatis sententiae

(H.-R.)

DECRETUM

Die 3 iulii 1954

1. - Tribunal ecclesiasticum S. Andreae et Edimburgen, die 3 martii 1948 declaravit non constare de nullitate matrimonii inter Joannem H., catholicum, et Mariam Margaritam R. acatholicam contractum mense aprili anni 1933, quod vir accusaverat libello diei 27 iunii 1946 ob caput vis et metus.

Actor appellavit ad Supremam S. Congregationem S. Officii, quae die 12 octobris 1950 causam commisit S. R. Rotae.

Adversus appellatam sententiam actoris Patronus querelam insanabilis nullitatis promovit ob bina motiva: a) illegitimam constitutionem collegii iudicantis; b) illegitimam Difensoris vinculi constitutionem.

Decretum turni Rotalis coram R. P. D. Heard, diei 15 martii 1953 respondit « Negative ad omnia ».

Recursu facto ad praesentem turnum Patronus actoris, nonnullis documentis et explicationibus a Rev.ma Curia Edimburgensi ecceptis, institut ut de aliis binis capitibus insanabilis nullitatis, in primo quidem iurisdctionis gradu, videretur, scil. c) de illegitima pronuntiatione sententiae; d) de laesione iuris defensionis.

2. *De primo capite seu de illegitima constitutione collegii iudicantis.*

Ex canone 1892 sententia vitio insanabilis nullitatis laborat quando lata est a iudice absolute incompetente vel, in tribunali collegiali, a non legitimo iudicum numero, contra praescriptum can. 1576 par. 1.

Nulla est igitur tum sententia quae in causa nullitatis matrimonii a collegio trium iudicum lata non fuerit, tum sententia pronuntiata a iudice cuius incompetentia sit *absoluta* utpote determinata absolutis limitibus deductis ex functione (can. 1571-1572 par. 1, 1594, 1599), vel ex obiecto vel ex dignitate personarum (can. 1558, cfr. F. Roberti, De processibus, I, 1941 p. 171).

Collegium iudicans efformatur vel ab Episcopo vel ab Officiali, unam cum Episcopo personam in re iudiciaria constituente, vocando per turnum iudices synodales ad normam can. 1554 nominatos (Pont. Commiss., resp. diei 28 iulii 1932 - AAS 24 (1932) 314; Instr. S. Congr. de Sacramentis diei 15 Augusti 1936, art. 14 par. 4). Eis praeest officialis vel vice-officialis (can. 1577) Reprobanda est ideo praxis constituendi collegium iudicibus non per turnum sed ad libitum vocatis, vel quibus non praesideat officialis aut vice officialis. Quae tamen praxis nullitatem sententiae non semumfert: nullibi enim in Codice, nec in can. 1892 nec in aliis canonibus, haec nullitas statuta est, nec ex iure naturali promanat.
Praeterea Ordinarius, si pro sua prudentia id opportunum existimaverit, tribunal collegiale constituere valet vocando iudicem non synodalem, in casu quidem peculiari. Qui enim ordinaria potestate sunt praediti possunt eam delegare ex toto vel ex parte (can. 199 par. 1).

Idem Officialis praestare potest qui, ut dictum est, unam in re iudiciaria personam cum Episcopo constituit, eidemque ad mentem responsionis Pontif. Commissionis diei 28 iulii 1932 aequiparatur quod attinet ad constitutionem collegii iudicantis.

Neque obiciatur iudices synodales vel prosynodales eligi debere ab Episcopo ad normam can. 1574 et servatis canonibus 385-388. Hoc enim praescriptum non impedit quominus gravi de causa iudex deputetur non synodalis nec prosynodalis. Is iudicabit potestate delegata ab Episcopo vel ab Officiali, qui Ordinaria potestate iudicandi praeditus cum sit valet eam delegare (can. 197 par. 2).

Nihil proinde prohibet quominus Officialis gravi de causa, in processu quodam, abstineat a iudicando, et, in defectu vice Officialis alium advocet ad collegium efformandum: ipse enim decernere potest quae « pro iustitiae administratione in causa quae agitur necessaria sunt » (can 1577 par. 2).

In casu igitur nullum oritur vitium irritam efficiens sententiam ex eo quod Officialis Edimburgensis abstinuit a iudicando, atque collegium efformavit accersito alio iudice. Idque a fortiori asserendum est quia tertius iudex, iuxta Officialem, ab Archiepiscopo nominatus fuit, qui ceterum — uti constat ex actis — praesentem processum noverat atque passim secutus est, ideoque ni expresse saltem tacite nominationem probavit.

3. - *De altera capite seu de illegitima constitutione Defensoris vinculi.*

« Ordinarii est Promotorem iustitiae et vinculi Defensore eligere » (can. 1589 par. 1 cfr. can. 1586). Instr. S. Congr. de Sacramentis diei 15 augusti 1936 expresse statuit: « Constituendus est

ab Episcopo stabiliter aut pro singuli causis matrimonialibus designandus defensor vinculi » (art. 15 par. 1).

Quare illegitima esset defensoris vinculi constitutio non facta ab Episcopo, esto ad singulam causam. Eadem tamen si fiat ab Officialis, licet inepte non videtur irrita, adeo ut nulla exinde habeantur acta, quasi posita fuerint absente vinculi defensore. Praesidis enim est moderari processum et decernece quae pro iustitiae administratione sunt necessaria (can. 1577 par. 2); hinc potest, inter cetera, parti carenti advocatum assignare alium adiungere (Instr. S. C. Sacr. art. 43 par 1-3; 49 par. 4) eum substituere (art. 240). Non videtur proinde cur irrite egisse dicatur si vinculo carenti tutore, eum assignet aliumve adiungat. A fortiori non videtur irrita — quamvis reprobanda — reservatio sibi facta, ab officiali, huius numeris, cum id necessarium censuerit pro recta administratione iustitiae in casu.

Si Officialis, qui « eandem quam Episcopus habet potestatem iudiciariam » (Lega — Bartoccetti, Commentarius, p. 114 n. 4) potest accire ad collegium constituendum sacerdotem extra iudices synodales vel prosynodales, a fortiori deputare valet sacerdotem ad munus Defensoris vinculi obeundum, vel id sibimet reservare. Quod numquam irritum erit praesertim ubi prout in casu, Archiepiscopus, de omnibus quae fiebant edoctus, tacite probabat.

4. - *De capite tertio seu de illegitima pronuntiatione sententiae.*

Die et hora statuta iudices convenire debent ad causam definiendam. Conventui interesse nequeunt Cancellarius nec Promotor iustitiae nec vinculi Defensor. Exc.mus Lega docebat paresidi licere non admittere Cancellarium, eum tamen admitti posse iusta de causa (Lega-Bartoccetti Commentarius I p. 950 n. 10). At cit. Instr. S. Congregationis de Sacramentis, art. 198 par. 1 decernit: « Expleta causae discetpatione, die et hora, a praeside ad normam art. 185 statutis, convenient soli iudices, remotis quibusvis tribunalis administris, in ipsa tribunalis sede... ad proferendam sententiam ».

Licet contrarius abusus apud quaedam tribunalia invaluerit, omnino reprobandus est; tamen sententiae nullitatem id secumferre gratis asseritur. Nam irritantes eae tantum sunt leges quibus actum nullum expresse vel aequivalenter statuitur (can. 11). Insuper nullitas actus tunc habetur cum essentialia desunt vel solemnitates requisitae sub poena nullitatis (can. 1680 par. 1 cfr. par. 2). In casu nulla lex edicit praesentiam nullam decisionem seu sententiam. Nec dicatur praesentiam defonsoris vinculi secumferre laesionem legitimae defensionis partis ac si timendum esset ne iudices sententiam ferant sub vigilantia et pressione argumentorum eiusdem.

Siquidem iniuriosam esset putare iudices adeo parum perpendisse acta causae ut quodvis genus influxus patiantur. Nec contra legum ageret vinculi defenor si coram iudicibus loqui auderet: ius enim habet ut audiatur postremus (can. 1984 par. 1), quin id obesse censeatur legitimae partis actricis defensioni.

5. - *De capite quarto seu de laesione iuris defensionis.*

Utrum praeter casus enumeratos in can. 1892 et 1894 alia sint vitia quae reddant sententiam nullam disputatur. Inter doctores qui censent enumerationem factam a praefatis canonibus non esse exclusivam, est Exc.mus F. Roberti qui plures alios admittit casus nullitatis sententiae, originariae vel derivatae, profluentes ex iure positivo vel naturali.

Inter nullitates iuris positivi recenset denegationem *legitimae defensionis* (can. 1861 par. 2): cum autem nullitas alicuius actus importet nullitatem actorum qui subsequuntur et ab actu dependet, nullitas sententiae exinde derivatur (can. 1608 par. 2; cfr. Roberti, *De Processibus* II n. 493). Ast, uti patet, canon 1861 par. 2 loquitur de iudice qui congruum non concesserit tempus alteri parti ut novas probationes cognoscere et sese dfeendere possit, seu de denegata *possibilitate* defensionis. Si *de facto* pars nec per se nec per suum patronum se defendat, sive ob negligentiam sive ob renuntiationem defensionis, nullitas minime sequitur, nec deesse dicenda erit essentia iudicii quae in petitione actoris et contradictione conventi consistit.

In casu certum est actorem suum patronum designasse, die 7 augusti 1946, Rev.dum P. Brassel S. J.

Die 6 ianuarii 1947 idem actor litteras misit Patri D. A. rogans eum: « voglia essere cosi' gentile da impedire che il P. B. svolga nel frattempo altra attività ». Tenor verborum per se non subasdit revocationem mandati; nec de revocatione intellexit actoris verba Patris B., si attento quod D.nus H. eum practice non considerabat « nec uti repraesentantem suum nec advocatum » (litt. diei 24 oct. 1947), opportunum censuit renuntiare muneri sibi commisso, eo vel magis quia fides de credibilitate actoris deficiebat: « Iintelligo me advocatum agere in hoc causa non posse si nec verbum quidem quod actor profert credo » (litt. 15 sept. 1947).

Quidquid sit certum est actorem numquam notam fecisse Tribunali revocationem mandati nec post litteras diei 6 ian. 1947, alium patronum suffecisse. Ideo Tribunal inopportunum merito habuit recessum Patris B., ratum iustam non subesse causam ad normam art. 54 Instr. S. C. de Sacramentis.

Quapropter actor defensore non caruit, cui notificata fuerunt acta quique collectas probationes perpendit, uti constat ex Patris B. litteris diei 9 febr. 1948: « uti advocatus sum omnino contentus eo quod omne possibile testimonium collectum est, et quod omne possibile argumentum pro nullitate promotum ».

Idem potuit: « combinare tutte le sessioni con gli interessati ed... il trasporto dei testi dall'ovest della Scozia », idemque invitatus est « a scrivere una difesa per l'attore » (litt. Curiae Edimburgen. diei 27 nov. 1953). Non elaboravit utique Restrictum iuris et facti, sed ad id faciendum non erat obligatus sub poena nullitatis sententiae (cfr. sent. Basileen., c. Wynen, diei 10 martii 1954).

Obici potest advocatum, in ultimo saltem stadio processus, neglegenter muneri suo obiisse. Exinde tamen minime sequitur vel actorum nullitas, vel Tribunalis officium alium deputandi patronum quem ne actor quidem sufficiendum curavit.

Omnibus hisce perpensis infrascripti Patres de turno, in Sede Tribunalis S. R. Rotae legitime coadunati.

Perlectis Memorialibus Patroni actoris;

Audito Defensore vinculi

d e c r e v e r u n t

confirmandum esse decretum rotale diei 15 martii 1953; quod ad nova nullitatis capita vero, respondendum esse *Negative ad omnia.*

Andreas Iullien, *Decanus*
Arcturus Wynen
Ioannes M. Pinna, *Ponens*

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

DE PRIMATU ROMANO
HISTORIA COLLECTIONUM IUR. CAN. ILLUSTRATO

In tota Ecclesiae Catholicae historia Primatum iurisdictionalem universalem Romanum maximi fuisse momenti nemo ignorat; quem hodie quoque constituere notam praecipuam discriminis inter Ecclesiam Catholicam et alias Ecclesias christianas, saltem quoad regiminis rationes, omnes admittunt; immo Primatus Romanus eiusque exercitium causa apparet praeclarae eminentiae, auctoritatis, potestatis, quibus Ecclesia et religio Catholica apud omnes veritatis et pacis amicos gaudet et ratio cur a mali factoribus et fautoribus quam maxime impugnetur.

1. Institutionem divinam huius Primatus Romani Ecclesia semper defendit et ideo a catholicis eius existentiam et essentiam i. e. praerogativas substantiales inde ab initio adfuisse affirmatur, quamvis exercitium variis aetatibus progressum et evolutionem passum sit. Acatholici tamen evolutionem obiectivam Primatus generatim asserunt eo sensu quod iste variis ex circumstantiis temporum, personarum, necessitatum ortus sit eiusque praerogativae pedetentim creatae [1]. Attamen de temporis momento seu epoca, qua reapse obtinuit, non consentiunt, cum ius, iuris exercitium, iuris agnitionem passim confundant. Ideoque plerumque sub Romanis Pontificibus « iuristis » i. e. a medietate saec. XII id evenisse autumant, praeparante et mediante reformatione Gregoriana [2]. Omnia alia facta et dicta praecedentis temporis signa tantum iudicant ambitionis et tentamina iura Primatus eiusque exercitium et agnitionem obtinendi.

Maxime tamen hodie adhuc, quandoque, in interpretatione factorum et textuum, in argumentationibus et conclusionibus inter se differunt. Exemplum praebent scripta clarissimi E. Gaspar [3] et J.Haller [4] in genere et eorum sententia de mente et actione Leonis I (440-461) in specie, de qua nuper doctissime iterum disseruit sententiamque suam adornavit A. M. Klinkenberg [5]. Hoc exemplum

---

[1] H. E. Feine, *Kirchliche Rechtsgeschichte*, I *Die katholische Kirche*. Weimar 1950, 48 ss.; 256 ss. cum bibliographia uberrima ibi citata.

[2] Feine, *op. cit.*, 256 s.

[3] Opus generale : *Geschichte des Papsttums*, voll. 2, Tübingen 1930-33.

[4] Opus generale : *Das Papsttum, Idee und Wirklichkeit*, ed. 2a. voll. 5, Urach u. Stuttgart 1950-53.

[5] *Papsttum und Reichskirche bei Leo d. Gr.* in : *Zeitschrift d. Savigny-Stiftung f. Rechtsgeschichte (ZRG), Kan. Abt.* 38, 1952, 37-112.

demonstrat quam incertae et evolutioni subiectae adhuc appareant inquisitiones acatholicorum in subiecta materia. Sed una simul innotescit, quantae utilitatis huiusmodi investigationes hodie quoque sint.

Non displicet ergo Romani Primatus exercitium et influxum illustrare in regione quadam hucusque a scriptoribus omissa i. e. in historia collectionum iuris canonici. Nolumus quidem per se normas ibidem compaginatas examinare sed potius evolutionem et vicissitudines activitatis compilatoriae perscrutari, causas eius, indoles collectionum, studia compilatorum, eo fine, ut implicite et explicite elucescat, quid senserint homines orbis catholici decursu saeculorum de Primatu Romano, quomodo huius ipsius exercitium, influxus, agnitio procedente tempore manifesta fiant.

2. Quaestio Primatus Romani triplici praecipue aspectu sese exhibet: historice i. e. utrum S. Petrus revera episcopus Ecclesiae Romanae fuerit ibique mortuus sit, ita ut dici possit Primatum S. Petri cum Ecclesia Romana mediantibus successoribus connexum esse; theologice i. e. utrum huiusmodi facta voluntate divina aut humana tantum innitantur necnon Primatus existentia et essentia et iura tamquam facta revelationis divinae; iuridice i. e. utrum et quomodo existentia et exercitium Primatus Romani ex factis et documentis historicis-iuridicis clarescant [6]. De ista tantum quaestione, quatenus ex historia collectionum iuris canonici illustretur, hac expositione disserere nostrum interest.

Notare iuvat insuper omnem vitam vitalem organicam individuam necessarie evolutionem pati plus minusve diuturnam, lentam aut celerem, secundum proprii organismi intrinsecas leges et pro condicionibus extrinsecis varii generis. Ex germine fit arbor, ex ovo avis, ex foetu homo adultus. Circumstantiis et condicionibus vitae externis evolutio semper formaliter, non semel summopere, definitur, deformatur, speciem mutuatur.

Eaedem leges, mutatis mutandis, in vita organica collectiva vigent. Ab incunabulis societatis cuiusdam, quamvis iam essentialiter constitutae, variae huius vitae socialis rationes evolvuntur et explicantur, sive essentiales sive accidentales, ambaeque condicionibus externis obnoxiae sunt; generatim diutius maturescunt; causae evolutionis et explicationis necessitates praesertim ipsius vitae socialis sunt, sive ordinariae sive extraordinariae.

Iamvero huiusmodi explicationis leges non ignorare debet, qui vicissitudines Ecclesiae perscrutatur, societatis externae et visibilis,

[6] B. Kurtscheid, *Historia Iuris Canonici, Historia Institutorum* I, Romae 1941, 30.

quae ex grano sinapis in arborem magnam crescit (Lc. 13, 18s.). Eo melius rationes essentiales vitae ecclesiasticae cognosci possunt, quo diutius earum evolutio procedit — quia ideo voluntati individuali, deformationi deliberatae, determinationi accidentali facilius subtrahitur —, quo magis propria intrinseca natura ex regione luctae, controversiarum, studii partium egressa et vi vitali exculta, patefit.

Istae condiciones miro modo habentur in evolutione Romani Primatus, qualis ex historia fontium iuris canonici demonstratur: hae collectiones in variis regionibus Ecclesiae, perdurantibus saeculis, pedetentim adornatae sunt, aliae aliis successerunt, mentem non tam singulorum hominum, quam potius Ecclesiarum et aetatum implicite vel explicite conservant.

3. Prima series collectionum, in quibus praecipue normae disciplinares traduntur i. e. collectiones pseudo-apostolicae [7] haud dubium testimonium auctoritatis Ecclesiae Romanae nobis praebent. Tamquam auctores pseudepigraphi, quorum nominibus veri auctores ignoti usi sunt, ut operibus suis auctoritatem universalem tribuerent, apostoli introducuntur et praeter apoostolos solus Clemens Romanus expresse auctor indicatur: omnium huius seriei maxima collectio (i. e. *Constitutiones Apostolicae*, ca. a. 400 in Syria vel Palaestina compilatae) Clementi Romano attribuitur, qui eam adornasse et, iubentibus apostolis, episcopis et presbyteris transmisisse dicitur [8]. Item *Octateuchus* nomen Clementis prae se fert [9]. Notandum quod hae collectiones in Oriente, et late quidem, diffusae erant.

Alia collectio item in Oriente recepta erat, in variis versionibus et excerptis exstabat et fons fere omnium collectionum pseudoapostolicarum sequentium iudicari potest: *Traditio Apostolica*, Romae a S. Hippolyto conscripta [10]. Nomen auctoris veri quidem non tradebatur — probabiliter quia ut antipapa auctoritate non gaudebat; sed diffusio operis procul dubio demonstrat, quanti iudicata sit in toto Oriente auctoritas traditionis et disciplinae Romanae, cuius testimonium opus Hippolyti exhibebat.

Ex his collectionibus pseudo-apostolicis elucet in primis saeculis auctoritatem Ecclesiae Romanae post-apostolicae etiam in Oriente auctoritati apostolorum aequiparatam esse; quo apparet non solum

---

[7] A. M. Stickler, *Historia Iuris Canonici Latini, I, Historia Fontium*, Augustae Taurinorum 1950, 22 ss.

[8] Stickler, *op. cit.* 25.

[9] A. Van Hove, *Commentarium Lovaniense, I Prolegomena* ed. 2a., Mechliniae-Romae 1945, 133.

[10] Stickler, *op. cit*, 26.

mens Orientis saec. adhuc quinto perdurans et vigens, sed, ex indole falsi i. e. pseudepigraphiae collectionum huius seriei in genere et *Constitutionum Apostolicarum* in specie, etiam ut persuasio et traditio integra usque ad apostolos ipsos pertingens.

Alio adhuc modo ex his collectionibus argumentum exercitii et agnitionis Primatus Romani implicitum haurire licet: cum in Oriente longe lateque diffunderetur, praesertim iis in regionibus magis dissitis, ubi ordinaria et directa gubernatio et cura Romani Pontificis impossibilis esset vel propter causas notas adversaretur, in Occidente nullam vel fere nullam diffusionem nactae sunt, nullum influxum exercuerunt directum. Non inepte hoc factum explicatur custodia viva, qua auctoritas RR. Pontificum traditionem et evolutionem genuinam ecclesiasticam in Occidente magis immediate et ordinarie prosequi poterat.

Argumentum validum et pulcherrimum desumas ex vicissitudinibus ipsius supra dictae *Traditionis Apostolicae* in Occidente, Romae, a S. Hippolyto graece conscriptae: heic plane oblitterata est et eius versiones orientales usque ad recentes inquisitiones cl.mi R. H. Connoaly opera originalia, in Oriente orta, habebantur [11].

4. Praeter et post periodum collectionum pseudo-apostolicarum historia fontium formalium iuris canonici evolvitur in epoca, quam vocavimus « Unitatis catholicae regionalis » [12], quod dicit, in singulis regionibus collectiones particulares proprie adornatas esse sed materiam i. e. normas disciplinares substantialiter, et saepe formaliter quoque, easdem fuisse. Omnes hae collectiones privatae iudicantur i. e. a viris privatis, minime ab auctoritate hierarchica publica compositae [13].

Quaedam propter normarum universalitatem et venerationem pluribus in regionibus divulgantur; sed nulla, praesertim ratione usus, universalis vocari potest; neque illud *Syntagma* orientale, cuius mentionem acta Concilii Chalcedonensis facere videntur, ubique et uniformiter receptum erat. Huius condicionis illustratio nobis suppeditatur occasione controversiae de Apiario Africano: contra textum canonum Ecclesiae Romanae et ad confirmandum proprium textum recurritur ab Ecclesia Africana insimul ad Ecclesias Constantinopolitanam, Antiochenam, Alexandrinam: unaquaeque Ecclesia particulari quadam utebatur collectione normarum [14].

---

[11] Cf. de hac re etiam E. Caspar, *Geschichte* I, 30 s., 48.

[12] Stickler, *op. cit.*, 28 ss.

[13] Cf. e. gr. E. Schwartz, *Die Kanonessammlungen der alten Reichskirche* in: *ZRG. Kan. Abt.* 25, 1936, 27, 32 s.

[14] Cf. e. gr. E. Schwartz, *op. cit.*, 59 s.

Quamdiu controversiae particulares tantum oriebantur, quae absque difficultate componi poterant neque desiderium et studium adornandi collectionem generalem disciplinae neque occasio recipiendi eam ubique fovebantur. Sed ubi primum controversia generalis emersit, necessitas, non solum desiderium, compilationis normarum, quae argumenta partibus subministraret, exorta est. Talis controversia magno Acacii schismate oritur, quod ab anno 484 ad annum 519 Orientem ab Occidente separabat. Contentiones et studia componendi schisma magnam activitatem compilatoriam introduxerunt, quae in hodierna historiographia iuridico-canonica « Renascentia Galasiana » vocatur [15], cui illa collectio debetur, quae prima universalis habenda est, quamque Dionysius Exiguus Romae adornavit.

Quidquid est de sententia cl.morum C. H. Turner et E. Schwartz, qui illud *Corpus canonum Ecclesiae Africanae* ibidem compositum esse affirmant; Schwartz ipse admittit hoc Corpus qua tale numquam recognitum, mox oblitteratum, ad posteros partes eius disiectas, ruinas tantum transmissas esse [16]. Aliae collectiones, quae forte ex hoc fonte materiam hauserunt vel easdem normas aliunde receptas tradiderunt, nullum momentum prae illa obtinuerunt, quae sub auspiciis RR. Pontificum Romte orta est.

Dionysius Exiguus Romam venit post Gelasii I morte (21-11-496) et, utriusque linguae vere peritus, documenta graeca in sermonem latinum vertit atque collegit normasque disciplinares latinas sive conciliares sive pontificias adiecit. Sunt, qui dicant Dionysium haec omnia, excepta tertia versione, nullo R. Pontifice movente fecisse. Verum, petitio Hormisdae Papae qua tertiam versionem redigendam curavit « propter quorundam supercilium, qui se Graecorum canonum peritissimos esse iactitant » — de qua petitione in praefatione ipsius Dionysii edocemur — sat clare demonstrat RR. Pontifices neque praecedentium versionum exsortes fuisse. Idem innuitur « celeberrimo usu », quo, iuxta testimonium Cassiodori coaevi, « Ecclesia Romana complectitur » statim collectionem Dionysianam [17]. Praeter auspicias Pontificias haec collectio etiam spiritum Pontificium Romanum prae se fert: ex canonibus conciliorum eos recepit, qui Romae recognoscebantur, sive in Oriente sive in Occidente conditi fuissent.

Iuxta hanc materiam conciliarem aequali saltem auctoritate gaudent Decretales RR. Pontificum, quas Dionysius collegit (Liber

---

[15] P. Fournier - G. Le Bras, *Histoire des collections canoniques en Occident* vol. I, Paris 1931, 21 ss.

[16] *Die Kanonessammlungen cit.*, 61 s., 79 s.

[17] Pl, 70, 1137.

Decretorum). Istae litterae decretales iam a temporibus Damasi Papae vel saltem Siricii (384-399) condebantur et verae dispositiones legales considerabantur non solum particulares sed etiam universales [18]. Collectio, receptio, traditio harum Decretalium demonstrant mentem RR. Pontificum de praerogativa legislativa universali S. Sedis et una simul usum necnon agnitionem huius iuris ex parte fidelium.

Tota activitas compilatoria « Renascentiae Gelasianae » studio schismatis componendi promota est. Huic fini RR. Pontifices, proprii iuris et obligationis sibi consci, maxime adlaborabant, sed eodem modo activitatem compilatoriam excitabant et fovebant, quae recte nomine « Gelasianae » significatur. Non immerito ergo auctoritati Romani Primatus attribuitur collectio prima universalis normarum disciplinarium, quae, sive initio particulares sive generales fuerint, recognitione Romana et mediante vehiculo collectionis Romanae practice ubique recipiuntur et vere universales fiunt etiam formaliter.

Iamvero receptio normarum et collectionis demonstrat recognitionem Romanae auctoritatis. De facto *Dionysiana* (scl. Liber Canonum et Liber Decretorum deinceps semper coniunctim traditi) in posterum ubique divulgata invenitur, fundamentum remanet disciplinae genuinae, universalis et novarum collectionum ut ex infra dicendis patebit. Ab ipso Oriente recepta esse videtur; nam *Syntagma* illud orientale a saeculo VI adauctum eam formam prae se fert, quam Liber Canonum Dionysii habet; quod melius clarescit ex canonibus Serdicensibus et praesertim ex serie canonum Africanorum, qui nunc prima vice in *Syntagmate* existunt; unde alias venerunt? Orientales versionem-collectionem Dionysii cognovisse innuit etiam illud « supercilium quorundam », qui sub Hormisda Papa secundam versionem Dionysii spreverunt [19]. Hormisdas autem noluit ut spernerent, quia novam versionem faciendam curavit; cordi ei erat ergo collectionem etiam Orientalibus placere et ideo et Occidenti et Orienti inservire debuit.

Prima collectio canonica universalis et ubique nota, quae ius universale custodiebat et affirmabat, recte etiam monumentum exercitii et agnitionis universalis Primatus Romani vocari potest, quia sub eiusdem auspiciis adornata et sub eius auctoritate divulgata est. Quod ulterius confirmatur eo quod in hac collectione auctoritas conciliaris sive particularis sive universalis-oecumenica cum aucto-

---

[18] Cf. e. gr. E. Caspar, *Geschichte*, I, 261 ss.

[19] Cf. praefationem Dionysii Exigui ad tertiam collectionem scriptam : ed. Fr. Maassen, *Geschichte d. Quellen u. Literatur des kan. Rechts im Abendland*, I, Graz 1870, 964 s.

ritate papali confundebatur; eo sensu, quod potestas RR. Pontificum per litteras decretales praecipientium eiusdem valoris legalis esse apparet quam canones conciliares ab Ecclesia de facto recepti (i. e. canones conciliorum regionalium antiquorum) et etiam de iure recipiendi (i. e. canones conciliorum oecumenicorum). Re quidem vera hi duo fontes materiales iuris canonici universalis inde ab initio coniuncti apparent in collectionibus universalibus iuris, in quibus disciplina communis Ecclesiae antiquae traditur. Ideoque historia collectionum speculum est mentis Ecclesiae antiquae de iure, exercitio, agnitione Primatus Romani; altera ex parte testimonium perhibet de industria RR. Pontificum circa collectionem iuris canonici eo temporis momento quo ista necessaria evasit.

5. Haec opera amplius extollatur et proinde Primatus Romanus clarius etiam refulgeat, si hypothesis cl.mi P. W. M. Peitz S. J. vera demonstretur, qua historia collectionum primae periodi invertatur [20]. Secundum hunc paleographiae peritissimum virum nulla collectio canonica interregionalis ante Dionysium Exiguum exstitit; omnes collectiones ex opere Dionysii originem traxerunt non excepto illo *Syntagmate* (Antiocheno), quia omnia acta in scrinio Curiae Romanae servabantur et promoventibus RR. Pontificibus, Gelasio et successoribus, a Dionysio ad hoc accersito, ordinata, collecta, translata, divulgata sunt occasione schismatis Acaciani. Quinimmo collectionis *Dionysianae* recensio ultima instrumentum erat pacis firmandae inter Orientem et Occidentem, quatenus, acceptione huius Codicis communis disciplinae ab utraque parte, controversiae et schisma composita sunt. Omnes citationes anteriores alicuius collectionis generalis opera ipsius Dionysii, acta recensentis, anachronistice insertae sunt et textus omnes collecti ab eius tantum opere, decursu laboris evoluto et correcto, originem traxerunt. —

Quidquid est de veritate et consequentiis huius ingeniosae hypotheseos, traditionalis doctrina de primaeva historia fontium iuris canonici ea non indiget, ut Primatus Romanus satis clare elucescat.

6. In periodo sequenti historiae collectionum iuris canonici, quam nos vocamus « Diversitatis Nationalis-Regionalis » [21], novum praebetur argumentum influxus Romani Primatus, directum et indirectum. Duae enim regiones emergunt prae aliis: Hispania et Ecclesia Insularis.

Ecclesia Hispana pro hoc tempore recte continuatrix Ecclesiae

---

[20] Cf. ea quae de hac hypothesi exposuimus in nostra *Historia Iur. Can. Lat* I, 52 ss.

[21] Stickler, *op. cit.* I, 61 ss.

Romanae vocari potest propter activitatem evolutionis iuris canonici et praesertim propter collectionem, quae continet et custodit hanc disciplinam. Post Gothorum conversionem, ab arianismo ad fidem catholicam, hierarchia ecclesiastica bene organizata viribus unitis et adiuvante potestate civili regum disciplinam uniformem vigentem in serie conciliorum Nationalium, Toleti habitorum, excoluit stricte adhaerens normis antiquis universalibus et Romanis, et in necessario progressu huiusmodi spiritui necnon mandatis RR. Pontificum generalibus et specialibus obsecundans, ita ut illius Ecclesiae proprietas prae aliis in hoc consistat quod ius antiquum, genuinum, universale, pontificium conservetur et evolvatur.

Tali indoli iuris respondet collectio de facto una tantum, uniformis, pedetentim adaucta, chronologice et postea etiam systematice digesta, quae appellatur *Hispana* vel, a saec. IX, etiam *Isidoriana* [22]. Primo iam obtutu collectio patefacit se *Dionysianae* omnino affinem esse et ab ea dependere: duae sunt partes in ista et in illa i. e. series canonum conciliorum et series Decretalium RR. Pontificum; eadem sunt normae: in *Hispana* adduntur canones conciliorum Galliae et Hispaniae et Decretales sequentes RR. Pontificum; idem est spiritus et indoles. Haec collectio sancte servatur et ita unice adhibetur, ut collectio officialis Ecclesiae Hispanae non inepte iudicari possit, adhuc tempore Alexandri III et Innocentii III a SS. Pontificibus qua talis agnita [23].

Receptione ergo iuris conciliaris, quod Romae receptum est et praeceptorum generalium RR. Pontificum in Ecclesia Hispana, quae, primis saeculis, tempore persecutionis arianae, aevo cooperationis cum auctoritate civili-nationali, traditioni genuinae semper inhaeret, necnon receptione collectionis Romanae a Dionysio adornatae, quae ut fundamentum et munimen disciplinae genuinae custoditur et traditur, non obscure demonstratur, quaenam fuerit auctoritas Romani Primatus eiusque exercitium et agnitio illis temporibus et regionibus.

7. Cum historia collectionis Hispanae directe hanc praerogativam probet, historia collectionum Ecclesiae Insularis indirecta argumenta affert. Propter varias enim rationes in illis dissitis insulis hierarchia potius monastica, disciplina magis moralis quam iuridica instaurata est, particularismus defectu commercii cum terra continenti auctus est et obduruit. Neque necessitas neque occasio exercitii assidui Primatus Romani percipiebatur vel manifesta fiebat. — Iamvero effectus negativi huius defectus hic quoque non

[22] Stickler, *op. cit.* I, 78 ss.
[23] Cf. Potthast, no. 783.

minus quam alibi patebant: disciplina in se particularis i. e. multiformis, diversa erat necnon a disciplina universali in non paucis discrepabat; in quibusdam ab ipso fundamento fidei et iuris divini recedebat ut e. gr. in capite absolutae indissolubilitatis matrimonii rati et consummati.

Collectiones canonicae respondent hisce praesuppositis: multae compilatae sunt particulares, pseudepigraphae, fontes materiales legales cum a-legalibus confundentes, normas morales et asceticas normis iuridicis substituentes, administrationi poenitentiae praesertim inservientes [24].

8. Nimirum hi effectus negativi ex defectu exercitii promanantes per se non probant Primatus existentiam de iure; verumtamen si reformatio disciplinae deformatae invocatur et peragi tantum potest auxiliante disciplina Pontificia et interventu R. Pontificis, defectus quoque, implicite saltem, existentiae argumentum suppeditant.

Revera disciplinae ecclesiasticae ruina in regno Francorum propter particularismum multiformem regionalem et propter disciplinam insularem, quae opera missionariorum insularium in continenti quoque passim diffundebatur, magis in dies crescebat. Reformatores i. e. hierarchia localis et reges ex stirpe Carolina Romano Primatu indigebant ad reformationem peragendam. Iam S. Bonifatius auctoritate Romana restaurationem et instaurationem episcopatus transalpini coeperat et perfecerat; Carolus Magnus restaurationi et uniformitati disciplinae ecclesiasticae in toto regno providere cupiens, cum religio catholica fundametum uniens omnium sui regni populorum esse deberet, sua sponte R. Pontificem adiit a. 774, ut normam authenticam, universalem, auctoritate Pontificia praeditam i. e. « Codicem disciplinae Ecclesiae Romanae » praeberet, qui Magna Charta reformationis efficaciter perficiendae esset. Tunc Papa Hadrianus collectionem *Dionysianam* ei in ea forma adaucta, qua illo tempore Romae exstabat, transmisit, quae in posterum *Hadriana* seu *Dionysio-Hadriana* vocatur. Complementum *Hadrianae* a reformatoribus Carolinis collectio *Hispana* considerabatur et adhibebatur [25].

His factis historiae collectionum iuris canonici haec innotescunt: Romano Pontifici persuasum erat se transmissione Codicis Ecclesiae Romanae sua auctoritate disciplinam authenticam et universalem sancire et aliis ut regulam proponere posse. Insuper reformatores sive ecclesiastici sive saeculares transalpini sibi persuasum habebant disciplinam antiquam, universalem, a RR. Ponti-

[24] Stickler, *op. cit.*, I, 84 ss.
[25] Stickler, *op. cit.*, 106 ss.

ficibus conservatam et spiritu Pontificio imbutam et evolutam etiam contra alias nolentes reformationem perficere posse et debere. Consensus ergo illius temporis hanc praerogativam Pontificiam recognoscebat tamquam ordinariam et omni exceptione maiorem.

Itaque collectio *Hadriana* existentiam, exercitium, agnitionem Primatus Romani tempore Caroli Magni probat.

9. Propter varias causas, de quibus hic non est agendum, reformatio Carolina authentica non obtinuit eo modo quo deberet, ut fructus stabiles et necessarios produceret. Ius antiquum condicionibus novis et particularibus satisfacere non potuit neque RR. Pontifices naviter novis decretis normas necessarias suppeditabant. Deficientibus mediis legislativis et authenticis reformatores quidam, hucusque ignoti leges et textus antiquos adulteraverunt vel finxerunt, ut defectui normarum recentium supplerent.

Consilia sua ad exitum perducere conabantur mediantibus collectionibus, quae a principali nomen Pseudo-Isidorianarum nactae sunt (*Hispana Augustodunensis*, *Capitula Angilramni*, *Capitularia Benedicti Levitae*, *Decretales Pseudo-Isidorianae*) [26]. Istae non semel contra Romanos Pontifices invocabantur, ut testimonium perhiberent de eorum ambitione, qua iura et praerogativas Primatus, in se illegitima, contenderent vel firmarent. Attamen ex historia harum collectionum spuriarum medietate saeculi IX confectarum hodie contrarium probari potest, scl. sententia communis illius temporis, quae iura Primatus Romani tamquam in traditione perantiqua fundata omnique dubio maiora considerabat.

De facto exaltatio iurisdictionis et auctoritatis R. Pontificis reformatoribus Francigenis non erat finis sed medium tantum ad assequenda placita reformationis in regno Francorum contra voluntatem procerum laicorum et quorundam ecclesiasticorum perficiendae: Quia normae ecclesiasticae et civiles novae auctoritatis particularis deerant neque ferri poterant, ad auctoritatem R. Pontificis recurrendum esse iudicabant; quia autem interventus Romani Pontificis actualis efficax illis in condicionibus defecit, ea quae omnino disciplinae ecclesiasticae genuinae secundum sanam mentem coaevorum conformia erant, iam antiquitus, praesertim a RR. Pontificibus sancita finxerunt. Hunc in finem ca. 60 litteras Decretales RR. Pontificum trium priorum saeculorum, de quibus notitiae historicae quidem exstabant, quarum tamen textus deperditi erant, postquam eos arte restituerunt, noviter inventas fingebant. Quas omnes tunc temporis eruditissimi quoque viri ut genuina acceptabant.

[26] Stickler, *op. cit.*, I, 117 ss.

Quo facto haec demonstrantur: Ipsi falsarii sibi persuasum habebant RR. Pontifices a temporibus S. Petri mandata generalia pro tota Ecclesia dedisse et dare potuisse et posse eaque inappellabilia atque omni veneratione digna; hanc eandem fuisse persuasionem omnium coaevorum sive fautorum sive adversariorum reformationis. Demonstratur insuper hunc fuisse revera consensum omnium: antiquis placitis Romanae Ecclesiae vis obligationis perseverans de facto attribuitur. Quibus omnibus rite perpensis non est dubium, quin medietate saec. IX in Regno Francorum Primatus Romani iura innata eiusque exercitium rata habita sint. Haec ratihabitio, iterum in imagine historiae collectionum, anulus tantum in testium serie perpetua traditionis non ignoratae apparet: *Decretales Pseudo-Isidori* formaliter nova recensio tantum sunt collectionum *Dionysianae* et *Hispaniae.*

10. Reformationem generalem atque perdifficilem opera tantum explicita vel implicita Romani Primatus felicem exitum sperare posse historia collectionum reformationis Carolinae docet. Idem ostendunt periodi sequentes historiae collectionum canonicarum, quae non solum receptacula conservationis, verum etiam, et principaliter, instrumenta applicationis iuris sunt, et disciplinae vitalis regendae adminicula summi momenti.

De facto tentamina regionalia et particularia postcarolina reformationis vitae et disciplinae ecclesiasticae, quae variis ex rationibus — praesertim illa irruptione qua ordo iuridicus germanicus ordinem iuridicum ecclesiasticum-canonicum penetrabat — pedetentim et magis in dies collabebatur, incassum ceciderunt. Eorum collectiones praecipuae e. gr. *Collectio Anselmo dedicata* et *Collectio V Librorum Cod. Vat. lat. 1339* in Italia, *Reginonis Prumiensis Libri duo de synodalibus causis* et imprimis *Decretum Burchardi Wormatiensis* in Germania normas disciplinae vigentis quidem suppeditabant sed nimis particulares et parum pontificiae erant quam ut universaliter et firmiter obtinere possent [27].

11. Tum denique cum Primatus Romanus opus reformationis susciperet fructus duraturi maturescebant. Quod opus nomine reformationis Gregorianae venit. Quae cum maxima sacrificia et gravissimas mutationes radicitus operandas expostularet, quae auctoritate tantum suprema et inappellabili, ab omnibus agnita, obtinenda erant, opus fuit, ut prae omnibus fundamentum Romani Primatus omni ex parte vindicaretur. Hac de causa prima vice in reformatione disciplinari generali vindiciae Romani Primatus tamquam caput per

[27] Stickler, *op. cit.*, I, 142 ss.

se stans et fere praesumptum constituerunt, quo omnes eius praerogavae omnibus probarentur et omni dubio maiores innotescerent. Collectiones itaque adornatae sunt quae, prae omnibus aliis normis reformationi strictae inservientibus, textus privilegia iurisdictionalia Ecclesiae Romanae ostendentes continerent. Quare historia collectionum Gregorianarum directe ad illustrandum Primatum Romanum multum confert, immo quaedam syllogae principaliter eius demonstrationem pro obiecto habent ut *Collectio septuagintaquattuor titulorum* et *Collectio Cardinalis Deusdedit* [28].

Notandum est quod reformatores Gregoriani ad disciplinam antiquam, ad decreta Patrum, ad traditionem perpetuam appellant, ut placita reformationis in praxim deducant. Textus ergo congregati ad probanda iura S. Sedis hanc indolem vetustatis et traditionis communis prae se ferunt: non nova et insolita sed antiqua et nota docent.

Revera, non obstantibus sententiis oppositis adversariorum reformationis, qui acerrime resistebant voluntati et mandatis RR. Pontificum ratione obiecti, nemo serio iura Primatus Romani in dubium vocabat; ad summum quosdam exercitii modos, scl. per legatos arbitrio instructos, negabant vel oppugnabant. De facto reformatio victrix evasit propter auctoritatem RR. Pontificum, qui sua sententia et iudicio luctam coeperunt eamque in summo discrimine persecuti et moderati sunt atque composuerunt. Quae omnia docent non solum sibi ipsis persuasum fuisse se huiusmodi auctoritate gaudere verum etiam omnes alios Primatus iurisdictionis universalis perantiqua iura agnovisse eiusque exercitio pleno, concordia restituta, obsecutos esse: Rationes et terminos concordiae tota perdurante lucta S. Sedes sanxit, temperavit, definivit; eorum applicationem moderabatur.

12. Exercitium Romani Primatus deinceps magis in dies extenditur ad negotia ordinaria quoque totius Ecclesiae; quapropter ius universale magis ac magis evolvitur. Quae evolutio autem tamquam fundamento et instrumento collectione quadam unica indigebat, quae omnes normas adhuc vigentes et in innumeris syllogis vagantes comprehenderet et, pro quaestionibus decidendis, cognitioni iuris studentibus exhiberet. Si hanc collectionem S Sedem ipsa adornandam curasset, testimonium persuasionis RR. Pontificum ipsorum obtinuissemus; cum autem opus privata opera coeptum et absolutum sit, testimonium persuasionis illius aevi de Primatu Romano habemus, quod melius est [29]. Nam *Decretum* Gratiani, ca. a.

---

[28] Cf. de omnibus Stickler, *op. cit.*, I, 160 ss.

[29] W. M. Peitz contra alios omnes affirmat Gratianum quoque Romae thesauris

1140 compilatum [30], de facto omnes normas vigentes non solum externe collegit verum etiam interne ad concordiam revocavit et secundum viros in re doctissimos reapse spiritum temporis prae se fert et repercutit [31]. — Iamvero Gratianus de Primatu Romano non aliis fere verbis loquitur quam quibus hodie quoque uti possit hac in materia exponenda, et doctrina eius non solum a Decretistis et Decretalistis non fuit oppugnata et restricta sed magis adhuc exculta et in praxim deducta non obstantibus quibusdam magistris, qui RR. Pontifices de nonnullis stulte constitutis et ordinatis reprehenderunt: potestas eorum universalis a nemine in dubium est vocata, usus eius tantum quandoque minus aptus aestimabatur.

S. Sedes autem indirecte ex lenta receptione *Decreti* ostendit se nullo modo eo indiguisse, ut Primatus sui iura ex eo firmaret; nam cl. W. Holtzmann recentissime probavit Curiam Romanam *Decreto* qua tali a temporibus Clementis III (1187-1191) tantum usam esse, Alexandrum III generali adhuc forma iura citare [32]. Absque dubio ergo neque iura neque eorum persuasionem neque agnitionem ex *Decreto* hausit. Itaque historia collectionum initio efformationis *Corpus Iuris Canonici* Primatus Romani iura, exercitium, agnitionem praeexistentia demonstrat. Ceterum opus compilationis rationibus intrinsecis tempore « Concordiae discordantium canonum » non ad activitatem legislativam sed ad scientiam pertinebat, quae, sensu proprio, revera *Decreto* nascitur.

13. Postea tamen, quando normae novae « Extravagantes » praecipue Decretalibus RR. Pontificum consistebant, quarum quaedam dubiae, quaedam obsoletae, quaedam controversae erant, ipsa S. Sedes compilationes conficiendas curare coepit, quas scholae transmisit, antea ad cautelam tantum (*Compilatio III antiqua* a. 1210), postea recipiendas mandavit (*Compilatio V antiqua* a. 1226). Gregorius IX a. 1234 omnes « Extravagantes » i. e. extra *Decretum* Gratiani exstantes normas et syllogas in unum volumen collectas promulgare iussit prohibens omnes alias compilationes eiusdem materiae [33].

Haec activitas compilatoria S. Sedis maximum et iamiam ordinarium exercitium Primatus iurisdictionalis universalis ostendit. Duplici enim ex ratione normas Pontificias, ab omnibus Orbis par-

---

archivi pontificii usum esse proindeque conscio saltem et approbante Summo Pontifice opus suum perfecisse: Studia Gratiana I (Bononiae 1953), 51-81.

[30] Stickler, *op. cit.*, I, 200 ss.

[31] J. Fr. v. Schulte, *Die Geschichte der Quellen und Literatur des Canonischen Rechts von Gratian bis auf die Gegenwart*, I (Stuttgart 1875), 70.

[32] Studia Gratiana I, 323 ss.

[33] Cf. de his compilationibus Stickler, *op. cit.*, I, 233 ss.

tibus invocatas, ab omnibus receptas necnon cognoscendas et servandas esse demonstrat. De facto litterae Decretales generatim « rescripta » erant i. e. responsa: solutiones dubiorum pro theoria et pro praxi, sed mandata iurisdictionalia, non solum consilia seu sententiae doctrinales. Attamen in pluribus casibus partes in causa tantum directe ligabant et nulla obligatio universalis per se eis inerat. Nihilominus maximam vim doctrinalem et exemplarem habebant et a schola de facto normae generales et universales aestimabantur et ideo in collectiones iuris vigentis congerebantur; sub moderamine scholae reapse totum iuris canonici systema constituebant et temperabant ita ut iure meritoque hoc ius classicum « Ius decretalium » vocetur. Haec nos docent auctoritatem agnitam S. Sedis, Primatus iurisdictionalis universalis Romani: nemo hanc potestatem in dubium vocabat.

Sed compilationes a S. Sede factae, « authenticae » et universales, amplius hunc Primatum demonstrant: omnes normae ibi insertae, cuiusvis obligationis et indolis originaliter et antea essent, nunc leges universales et generales vel communes fiebant, quod Bullae promulgationis patenter edicunt. Promulgatio ergo huiusmodi collectionum actus et exercitium maximae et universalis iurisdictionis erat; nemo autem compilationes a S. Sede factas non libenter excepit. Ideoque « ius decretalium » ratione fontis sive materialis sive formalis pleno sensu ius Romano-Pontificium erat. Logice igitur clausola prohibitionis aliarum syllogarum, in Bulla promulgationis apposita, a coaevis non solum minime Primatus Romani indebita arrogantia habebatur verum etiam recte intellegebatur et nulla oppositione infracta est sed tamquam naturalis dispositio sancte observabatur.

De normis enim futuris nihil edixit Gregorius IX sed « Novellarum » collectioni sive privatae sive publicae via patebat. De facto non paucas earum collectiones privatas quoque habemus, quamvis ipsi RR. Pontifices activitatem compilatoriam publicam prosecuti sint: Innocentius IV, Gregorius X, Nicolaus IV, Bonifatius VIII, Clemens V, Joannes XXII. Quae collectiones omnes authenticae et universales tot sunt testimonia iurisdictionis universalis Romanae eiusque exercitii et agnitionis generalis [34].

14. Ex ista activitate aliud argumentum Romani Primatus haurire licet: in collectionibus supradictis una cum Decretalibus RR. Pontificum etiam canones conciliorum oecumenicorum compaginati sunt (Conc. Lateranense III, IV, Lugdunense I, II, Viennense) neque ulla differentia inter hos et illas. Id est Decretales RR. Pontificum

---

[34] Cf. de omnibus Stickler, *op. cit.*, I, 251 ss.

non minore auctoritate gaudebant quam canones conciliorum universalium. Immo ex historia collectionum apparet utramque auctoritatem converti. Iam in concilio Lugdunensi I (1245) constitutiones conciliares de variis disciplinae capitibus partim Decretales Pontificiae iam antea latae erant, partim in forma a Curialibus iam elaborata, partim in forma adhuc elaboranda Patribus concilii perlectae et ab eis approbatae erant. Omnes eodem modo constitutiones concilii habebantur et in forma obligatoria et authentica mediante collectione canonica ab Innocentio IV die 25 augusti 1245 publici iuris factae sunt [35].

Huiusmodi exaequatio auctoritatis Pontificiae et conciliaris iterum apparet in historia Clementinarum: Clemens V in ultima sessione concilii Viennensis (die 6 maii 1312) praeter constitutiones quasdam perlegere iussit alias, nondum in formam definitivam redactas et eas « pro lectis, ordinatis et constitutis » declaravit. Omnes quoad formam nedum quoad substantiam mutari potuerunt et vim legalem solummodo post publicationem mediante collectione, ad Universitates Studiorum missa, (modus promulgationis tunc adhibitus), obtinuerunt; quae in casu a Joanne XXII tantum, post revisionem ulteriorem collectionis, facta est [36].

Romanum Pontificem non solum eandem auctoritatem ac concilium universale habere ex his historiae collectionum canonicarum factis patet, verum etiam facultate pollere in concilium ipsum statuendi eiusque constitutiones eo modo et tempore quo ipse velit authentice promulgandi et ita eis vim obligationis tribuendi. Nemo ne minimum quidem tum huiusmodi auctoritatem aut potestatis exercitium impugnabat.

15. Quod quidem RR. Pontifices minime arrogantia et imperio ducebantur hoc in exercitio sed voluntatem aliorum vivam, vitalem, operosam quamvis oppositam, observabant, quae ipsa, immo, obtinuit, eadem historiae collectionum iuris canonici periodus docet. Nam successores Gregorii IX post *Libri Extra* promulgationem non solum singulas Decretales in istum inseri voluerunt sed etiam earum collectiones subsequentes. Innocentius IV ultima sua compilatione authentica tantum scholam secutus est, que modum diversum i. e. receptionem et commentationem per se stantem, independentem no-

---

[35] St. Kuttner, *Die Konstitutionen des ersten allgemeinen Konzils von Lyon* in: *Studia et Documenta Historiae et Iuris* VI, 1940, 92 ss. - P. J. Kessler, *Untersuchungen über die Novellengesetzgebung Papst Innozenz' IV.* in: *ZRG., Kan Abt.* 31, 1942, 213 ss.

[36] E. Müller, *Das Konzil v. Vienne 1311-1312* in: *Vorreformationsgeschichtliche Forschungen* no. 12, München 1934, 396 ss. - St. Kuttner, *op. cit.*, 92 s.

varum collectionum, utut magis practicam, inchoavit et retinuit [37]. Gregorius X et Nicolaus IV autem iterum insertionem, sub suis titulis, in *Librum Extra* ordinaverunt. Bonifatius VIII tamen usum scholae definitive recepit, *Librum VI* tamquam appendicem per se stantem ad *Librum Extra* adiecit, itaque scholae contra RR. Pontificum voluntatem precedentem victoriam paravit [38].

16. Totum *Corpus Iuris Canonici* cooperationem et consensionem summae auctoritatis doctrinalis (scholae) et legislativae (RR. Pontificum) pandit; Primatus Romani existentiam et exercitium una simul cum agnitione inter omnes constantem plene demonstrat. Hoc *Corpus Iuris* postea non solum testimonium sed etiam instrumentum exercitii Primatus Romani factum est; non semel symbolum agnitionis fidei et disciplinae catholicae evasit cuius fulcrum Sedes Romana erat. De facto Lutherus una cum Bulla Pontificia, quae errores suos dogmaticos anathematizavit, etiam *Corpus Iuris Canonici* reiecit et in rogum misit, ante portas civitatis Wittembergensis erectum: cum *Corpore Iuris* oboedientiam S. Pontifici praestandam, cum oboedientia unionem cum Ecclesia Catholica abiecit. Verumtamen, cum vera fides in vera disciplina restitueretur, apud Synodum Tridentinam, iuxta S. Scripturam *Corpus Iuris Canonici* deesse non licuit: Ius universale Pontificium in *Corpore Iuris* clausum et a Romano Primatu una cum schola universali exstructum ipsius Romani Primatus existentiam, exercitium ,agnitionem designavit et declaravit, sub cuius ductu dumtaxat veritas fidei, integritas disciplinae, unitas Ecclesiae sarta tectaque manet.

17. Insequentibus saeculis historia collectionum iuris canonici non amplius argumenta existentiae Romani Primatus afferat oportet; sed de eius exercitii opportunitate et necessitate testimonia, negativa et positiva, suppeditare potest.

Iamvero propter varias rationes, quas hic exponere longum est, massa normarum generalium a variis fontibus materialibus, praesertim a Congregationibus Curiae Romanae emanatorum, non iterum in unam collectionem congregata sunt, non obstantibus quibusdam tentaminibus privatis et publicis [39]. Auctoritas privata propositum iam nullo modo consequi poterat; auctoritas autem publica universalis Romana nolebat. Quapropter non obstante perfectione « Iuris decretalium » eiusque *Corporis* pedetentim eo perventum est, ut

---

[37] St. Kuttner, *op. cit.*, 73 et *Decretalistica* in: *ZRG., Kan. Abt.* 26, 1937, 444 s.
[38] Cf. Stickler, *op. cit.*, I, 255 s., 258 ss.
[39] Cf. de tota hac periodo Stickler, *op. cit.*, I. 277-370.

Card. P. Gasparri in praefatione novi Codicis, recte statum quo describens, dicere possit: « Merito videbatur haud secus definiri ius canonicum posse, atque Livius ius romanum appellaverat, « *immensum aliarum super alias coacervatarum legum cumulum* ». (l. III, c. 34); nec profecto mirari licebat, quod ii ipsi, qui ad sacrorum canonum studia se totos contulissent, haud raro ignorarent utrum lex de hac aut illa re exsisteret necne, aut dubitarent an aliqua lex vigeret adhuc vel quo sensu accipienda esset, etiamsi de rebus ageretur quae maximi essent momenti et ad usum pertinerent ». Defectus activitatis compilatoriae Primatus Romani eo perduxit; quem supplendi facultas nemini data est.

18. Iamvero undique Pastores S. Sedem precibus flagitabant expostulantes, ut nova totius iuris canonici vigentis reordinatio, reformatio, unificatio conficeretur [40]. Opus omnino urgebat, cum bonum animarum hac ex parte in gravi periculo versaretur. Difficultates maximae operi perficiendo adversae hoc ipsum iterum atque iterum differebant, quin-immo non deerant intra et extra Curiam Romanam, qui non intellegebant, quomodo opus fieri posset. Sed Suavissima Dei Providentia suo tempore misit S. Pontificem ipsique ministrum aptissimum, qui, adiuvante tota Ecclesia Catholica, opus aggressi sunt et usque ad felicem exitum perfecerunt: Pius Pp. X, iamiam in numerum Sanctorum relatus, et Petrus Card. Gasparri [41]. *Codex Iuris Canonici*, die 28 iunii 1917 solemniter promulgatus, auctoritate Primatus Romani confectus et vim obligandi adeptus est atque ius universale totius Ecclesiae Catholicae latinae continet, unitatem disciplinae ex parte restituit, in omnibus quammaxime firmavit. *Codex* opus inter omnia recentiora excellentissimum Primatus Romani exstat eiusque exercitii monumentum aere perennius exstabit: culmen activitatis S. Sedis in historia collectionum canonicarum considerari debet, ex qua tota Primatus ipse non parva luce refulget.

A. M. Stickler S. D. B.
in Facultate Iuris Canonici
Pontif. Athenaei Salesiani prof.

---

[40] Cf. de his praefationem Card. P. Gasparri in C. I. C.
[41] Stickler, *op. cit.*, I, 371 ss.

DE COADIUTORIBUS CANONICORUM

I. *Definitio:*

Coadiutoria est facultas ex legitima causa, mediante auctoritate ecclesiastica, clerico concessa adiuvandi Praelatum aut Beneficiatum in Ecclesiae vel Beneficii regimine [1].

II. *Divisio.*

Coadiutoria est duplex:

temporalis sc. aut perpetua. Temporalis, revocabilis, sine iure successionis est illa, per quam Praelato aut Beneficiato propter infirmitatem aliamque causam canonicam impedito ab exercitio sui officii datur Coadiutor pro tempore vitae. Perpetua, irrevocabilis, data cum iure successionis in Ecclesia vel Beneficio, per quam Coadiutori ius tribuitur mortuo Coadiuto in eius Ecclesiam vel beneficium succedendi.

III. *Collatio.*

In iure antiquo Coadiutoria perpetua fuit odiosa et contraria normis vigentibus; ideo non potuit conferri nisi a Romano Pontifice, quia ipse solus, exclusis Cardinali Legato et Nuntio Apostolico, dispensari potuit a iure communi; etsi Coadiutoria temporalis pro minoribus beneficiis a competente Praelato conferri potuit, tamen pro maioribus fuit competens ipse solus Papa. In iure Codicis can. 1433 statuit hanc normam: Coadiutores in beneficiis cum vel sine futura successione ab una Sede Apostolica constitui possunt, salvo tamen praescripto can. 475, 476.

---

[1] Coadiutores commemorantur ex. g. in cap. 6 X. III. 6. Honorius III. (1216-1227) rescribit Episcopo Aversano in hoc sensu: archipresbytero laboranti morbo paralytico post amissum linguae officium merito adhibendum esse coadiutorem; pars decisa: maxima, si de ipsius processerit voluntate. Lateran. III (a. 1179) statuit: ne tribuantur beneficia ecclesiastica alicui, *antequam vacent*, ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cuius locum et beneficium se crediderit successurum. Quum enim in ipsis etiam legibus gentilium inveniatur inhibitum, turpe est et divini plenum animadversione iudicii, si locum in ecclesia Dei futurae successionis exspectatio habeat, quam ipsi etiam gentiles condemnare curarunt». (cap. 2 X. III. 8). Clemens IV in cap. 2. III. 4 in VI° statuit: Romanus Pontifex potest etiam conferre beneficia vacatura. Bonif. VIII in cap. unico III. 5 in VI° statuit coadiutorum episcoporum et superiorum praelatorum dationem intelligendam esse de causis maioribus et referendam ad Sedem Apostolicam. Tridentinum in cap. 19. Sess. 24 de ref. decrevit gratias, quae exspectativae dicuntur, nemini amplius concedi. Cf. Riganti, de Regulis Cancelleriae Apostolicae vol. IV. p. 264: Coadiutor, Coadiutoria; p. 293: Episcopus quoad Coadiutorem et Episcoporum Coadiutores.

Can. 475 § 1. statuit: « Si parochus ob senectutem, mentis vitium, imperitiam, caecitatem aliamve permanentem causam suis muniis rite obeundis impar evaserit, Ordinarius loci det vicarium adiutorem, praesentatum a Superiore, si de paroecia agatur religiosis concredita, qui suppleat eius vicem, assignata eidem congrua fructuum portione, nisi aliter provisum sit.

Can. 476 § 1 — 4 hanc normam dat:

§ 1. Si parochus propter populi multitudinem aliasve causas nequeat, iudicio Ordinarii, solus convenientem curam gerere paroeciae, eidem detur unus vel plures vicarii cooperatores, quibus congrua remuneratio assignetur.

§ 2. Vicarii cooperatores constitui possunt sive pro universa paroecia, sive pro determinata paroeciae parte.

§ 3. Non ad parochum, sed ad loci Ordinarium, audito parocho, competit ius nominandi vicarios cooperatores e clero saeculari.

§ 4. Vicarios cooperatores religiosos Superior cui id ex constitutionibus competit, audito parocho, praesentat Ordinario, cuius est eosdem approbare.

IV. *Causae pro conferenda Coadiutoria.*

Coadiutoria principaliter ex hoc motivo fuit creata, ne ecclesia ob impeditum Coadiutum damnum subeat; unde concedenda est solummodo ex vera causa necessitatis vel evidentis utilitatis ecclesiae. Secundarie quandoque aliud motivum militavit, sc. providendi Coadiutori de beneficio, praeveniendo tempus vacationis, quae per obitum Coadiuti vacans futura erat. Utique Concilium Tridentinum (Sess. 25 de ref. cap. 7) statuerat: « In Coadiutoriis quoque cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permittantur ». Tamen ex causa necessitatis vel conniventiae Romani Pontifices concesserunt Coadiutorias cum futura successione in Dignitatibus, Canonicatibus, be-

---

Hinschius, System des Katholischen Kirchenrechts, vol. II. p. 84 notat in Germania post sic dictam saecularisationem bonorum ecclesiasticorum sub initium saec. XIX non esse amplius sermonem de coadiutoribus perpetuis in Collegio Canonicorum aut aegrotorum aut certam aetatem obtinentium; l. c. p. 87 est sermo de coadiutoribus in Capitulo; p. 117 disseritur de coadiutore Dignitatis; allegatur Litteratura; novum quid Concordatum Bavaricum 24 jan. 1925 resp. 29 mart. 1924; in art. X. § 1. b est sermo de canonicis *coadiutoribus* cum vel sine iure successionis. (A. A. S. vol. 17 p. 48); explicationem invenies apud Hofmeister: « von den Koadiutoren der Bayerischen Dom-Kapitel » in « Theologische Quartalschrift » vol. 114 (1933) p. 97-115. Idem « Von den Koadiutoren der Bischöfe und Äbte » in « Archiv für Katholisches Kirchenrecht » vol. 112 (1932) 369-436.

neficiis aliis ecclesiarum cathedralium aut collegiatarum. Ne collatio Coadiutoriae fovere videatur morti desiderandae Coadiuti, requiritur consensus Coadiuti praeter litteras commendatitias Capituli et Episcopi [2].

V. *Nominatio.*

Exemplum nominationis hoc sit:

Pius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio, Caio, presbytero dioecesis x y salutem et Apostolicam Benedictionem. Ex parte dilecti filii Titii presbiteri ac canonici cathedralis Ecclesiae x y.

Nobis litterae exhibitae sunt, quibus exponebatur cum ipse, ob provectam suam aetatem et malam qua afficitur valetudinem eidem Cathedrali Ecclesiae inservire atque obligationes ratione sui Canonicatus sibi incumbentes adimplere, ut par est, amplius non valeat, plurimum se cupere in coadiutorem perpetuum in regimine et administratione praefati Canonicatus cum futura in illo successione, sibi, per Nos et Sedem Apostolicam benigne te constitui et deputari.

Nos igitur te, a dilecto Fratre Nostro Episcopo x y commendatum, gratioso favore prosequi volentes, dilecto Titio quoad canonicatum praefatum obtinuerit, in Coadiutorem perpetuum in regimine et administratione eiusdem canonicatus, in spiritualibus et temporalibus, cum futura in illo successione Auctoritate nostra constituimus et deputamus.

Ita ut tu, loco et vice memorati Titii, si is officium suum adimplere aut nolit, aut non valeat, uti verus Canonicus, Coadiutor

---

[2] De consensu Coadiuti, ita S. R. R. 18 maii 1637 in Gerundinen. Canonicatus (Decis. 313 ad 27: Decisiones S. R. R. P. VII Recentiores); 8 jun. 1669 in Oscen. Coadiutoriae (l. c. P. 16 dec. 112 n. 33. Recent.). De consensu Capituli S. R. R. in Argentina Coadiutoriae 21 febr. 1631 (l. c. P. 6 dec. 20 ad 9. Recent.): sufficit consensus maioris partis. Porro ad Coadiutoriam obtinendam exiguntur litterae testimoniales et commendatitiae Episcopi vel Capituli, sed plerumque emendicatis favoribus extorquentur (S. R. R. in Oscen. Coadiutoriae 3 jun. 1669 l. c. P. 16 dec. 112 n. 17 Recent.); n. 18 et 19 enarratur, quod quidam Ecclesiae Cathedralis canonicus (Papa ut arbitratur, circumvento) praetextu inhabilitatis ad inserviendum ecclesiae in divinis obtinuisse sibi dare Coadiutorem in Canonicatu cum iure successionis et paulo post eundem Canonicum fuisse deputatum Coadiutorem Dignitatis ibidem cum futura successione in alia ecclesia et ita fuit simul Coadiutus et Coadiutor. Cui Canonicus affinis fuit Eugubinus ille *Coadiutus*, qui postea a pluribus annis exercebat officium Vicariatus Forosempronien. cum bona valetudine; bona sanitas ex mutatione aeris, qui forte Forosempronii salubrior potuit esse Coadiuto? Aut magis *aereu* infirmitas, protinus curata aereo medicamine? Quidam plebanus prae impotentiae praetextu resignavit filio fratris, et ordine turbato senior superstes juniori! Vacante cura concurrit, sed bravium non comprehendit, subsanatusque, quod infeliciter esset revocata juventus eius.

nuncupatus, dictae Cathedrali Ecclesiae inservire et apud illam personaliter residere, ac omnes et singulas obligationes huiusmodi Canonicatui incumbentes absolvere tenearis; item ut omnes praefati Canonicatus fructus, proventus et distributiones quotidianas integraliter favore dicti Titii cui plenaria de his omnibus a te reddenda ratio est, lucrari valeas et debeas.

Quod si ob non praestitum per te debitum Coadiutoris munus (dummodo tamen iustum et legitimum ne occurrerit impedimentum) memoratus Titius aliquod amiserit, id de tuo proprio ei reficere debeas.

Ratione autem Coadiutoriae huiusmodi dictus Titius titulo salarii, ea omnia quae in conventione inter vos inita statuta sunt, tibi cedat et assignet.

Canonicatum vero praefatum Apostolica Auctoritate tibi, *nunc pro tunc*, cum vacaverit conferimus et assignamus.

Dilecto autem Ordinario x y mandamus quatenus Ipse, per se vel per suum ad normam iuris delegatum, recepto prius de observandis statutis et probatis consuetudinibus dictae Cathedralis Ecclesiae solito iuramento, a te vel a procuratore tuo praestando, in huiusmodi coadiutoris officium te immittat; eoque cessante et successionis aditu facto te vel procuratorem tuum in realem possessionem dicti Canonicatus ac adnexorum iurium et pertinentiarum inducat auctoritate Nostra, contradictores, *quacumque adpellatione postposita, compescendo.*

Volumus vero quod beneficium ecclesiasticum chorale et residentiale quod in eadem Cathedrali Ecclesia ob solam praesentis gratiae concessionem vacet eo ipso ita ut de illo per Nos et Sedem Apostolicam tantum disponi possit.

Decernentes irritum et inane quidquid in contrarium attentatum fuerit vel contigerit attentari. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum ex Arce Gandulphi prope Romanos.

Anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo octavo decimo sexto Kalendas Decembres

Pontificatus Nostri anno decimo

(F) Fridericus Card. Tedeschini

S. R. E. Datarius.

Quod Breve Apostolicum ansam dedit Capitulo ad sequentia Dubia:

I. quinam locus in Capitulo et Choro competit Coadiutori cum iure successionis, praebenda Coadiuti nondum vacante?

II. praebenda Coadiuti vacante?

Praemitto: I. Statuta Capitularia, post C.I.C., prout de iure (can. 410 § 3.) revisa, mutata, approbata, sequentem normam ferunt: « Quamvis non adsint in Capitulo nostro distinctae praebendae Presbyterales, Diaconales et Subdiaconales, tres tamen Capitulum nostrum amplectitur ordines, presbyteralem scilicet, diaconalem et subdiaconalem.

Ad presbyteralem ordinem ex iure (c. 416) et ratione muneris pertinent Archipresbyter, Theologus, Poenitentiarius et Parochus: pertinent quoque, ratione prioritatis, sex antiquiores in Canonicatum immissi, quorum alicui deficienti, antiquior diaconalis ordinis succedit. Ad ordinem vero diaconalem et subdiaconalem pertinent reliquae quatuor praebendae canonicales, binae pro utroque ordine: ita vero ut duo qui prius canonicalem possessionem coeperint, diaconalem occupent gradum, duo autem novissimi subdiaconalem.

Munus eorum est ut ministerio proprii ordinis, iuxta turnum, alternis mensibus, fungantur in sacris functionibus capitularibus peragendis ».

II. Circa locum a Coadiutore occupandum Statuta definiunt: « Coadiutores si qui sint in Capitulo, novissimum post titulares obtineant locum; ius autem praecedentiae sortiuntur a die promotionis vel obitus coadiuti ».

III. In casu agitur de Canonico presbyterali petente Coadiutorem [3].

PRIMUM DUBIUM

Statuta haud clare sese exprimunt circa locum Coadiutoris, si Coadiutus stat in dignitate. Can. 393 § 1. distinguit Dignitates a Canonicis. *Consequenter* ad hanc distinctionem et conformiter ad can. 106 § 3. Coadiutor Canonici, qui est in Dignitate, *locum tenet post ultimam Dignitatem.* Quae opinio fulcitur sequentibus argumentis:

S.R.C. in Ferrarien. 2 Jun. 1640: *in hoc est differentia inter* Coadiutores Dignitatum et Coadiutores Canonicorum, quia illi, *sicut*

---

[3] Est natura Coadiutoriae, ut videatur concessa in gratiam Coadiuti, non autem Coadiutoris. S. R. R. in Hispalen. Praeeminentiarum 8 febr. 1613 (l. c. P. I. dec. 456 ad. 3 Recent.). Possessionem tamen Coadiutor, vivente Coadiuto, non potest capere capitulariter (P. X. dec. 122 n. 2 Recent.) Coadiutor non habet ius aut titulum in beneficio, sed tantum simplex exercitium et munus administrandi, vivente Coadiuto (l. c. n. 4: item P. 18 tom. 1 dec. 198 n. 2 ssq. Recent.); in Januensis Archipresbyteratus, 11 dec. 1673; item P. IV tom. 1 dec. 410 ad 3 ssq. Recent. in Hispalen. praeeminentiarum 20 febr. 1617; Canonicatus non vacat per obitum Coadiutoris sed solummodo per cessum vel decessum Coadiuti et tunc incipit habere ius ipse coa-

sedent in stallo Dignitatis, ita debent facere functiones spectantes ad Dignitatem Coadiutam. Coadiutores vero Canonicorum, sicut sedent post omnes Canonicos, ita non admittuntur ad honorarias functiones, si adsint alii Canonici, qui suppleant iuxta Caerimonialis libr., I, c. 26, de supplend. vicib. (Ferraris, Prompta Bibliotheca, v. Canonicatus, art. X. n. 21.) cf. l. c. n. 16, ubi citatur S.R.C. in Neritonen. 22 oct. 1619 et Brundesina 29 maii 1621; Neritionen. citatur in « Analecta Iuris Pontificii » vol. 7 col. 157 n. 57 uti data *12* oct. 1619; in Monopolitano 5 jul. 1631 (l. c. col. 238 n. 1004); in Valentina 1 apr. 1634 (l. c. col. 258 n. 1130).

S.R.C. in Placentina 21 April. 1882: « Coadiutor attentis ipsius S. C. resolutionibus debet obtinere *stallum immediate post alias dignitates ordinis praesbyteralis* (Decret. auth. n. 3544, Dictionnaire canonique vox Chanoines, vol. III. 485).

Quia in casu non agitur de canonico in Dignitate constituto, sed de canonico in ordine presbyterali, quaerendum erit: quinam locus competit Coadiutori praebenda Coadiuti non vacante?

Responsum dant Statuta Capitularia definiendo: « Coadiutores, si qui sint, in Capitulo *novissimum* post titulares obtinent locum ».

Ita S.R.C. in Conimbrien. 16 Septemb. 1606, in Patavina 3 Dec. 1616, in Brundes. 18 mart. 1617; in Casalen. 15 jul. 1617; in Vicentina 18 aug. 1618; in Casalen. 10 dec. 1619; in Elnen. 20 maii 1620; S.C.C. in Casalen. 13 apr. 1690 (Ferraris l. c. n. 14). Haec regula

---

diutor, non tamquam coadiutor, sed tamquam novus canonicus et diversa persona nec dicitur continuare ius, sed noviter acquirere; ideo mortuo coadiuto debet capere novam possessionem. Quod patet ex forma litterarum coadiutoriae, in quibus Papa mandat, quod vacante canonicatu per cessum vel decessum coadiuti vel alias quovis modo, et cessante officio coadiutoriae, ipse coadiutor in possessionem immittatur; a n. 7-9 explicatur sensus illius termini « ex nunc prout ex tunc ». De Coadiutore et Coadiutoria multa habentur in « S. R. R. Decisiones Recentiores in Compendium redactae » tom. I v. Coadiutor, Coadiutoria. De coadiutore confer insuper « Analecta Iuris Pontificii » vol. 7 col. 78 n. 203. S. R. C. in Pistorien. 15 mart. 1608 censuit: in absentia coadiuti coadiutorem tamquam verum et proprium canonicum censendum esse et ideo ei praeeminentias convenire, quae propriis canonicis conveniunt, et praecedere debere dictis curatis plebanis seu prioribus tamquam verum et proprium canonicum in absentia coadiuti. S. R. C. in Vercellen. 12 maii 1612 (l. c. col. 122 n. 397) post ortam litem inter canonicos et coadiutorem post cessum coadiuti circa distributiones illis praetendentibus, quod dictus Albertus illas consequi non posset, ex eo, quod post mortem Philiberti coadiuti *novam possessionem sui canonicatus* non fuerit adeptus, hanc normam statuit: praedictus Albertus iam coadiutorem deputatum Philiberti et verum canonicum effectum post illius mortem *non indigere nova posssessione*, sed primam iuridice acceptam sufficere, in qua etiam post mortem dicti sui coadiuti continuavit et propterea tamquam vero canonico ei deberi distributiones solitas distribui inter canonicos et locum in choro *sacerdoti* convenientem.

valet, si Capitulum *non* distinguitur in tres diversas *praebendas*, si autem in Capitulo sunt tres diversae *praebendae*, Coadiutor Canonici presbyteri installandus est ultimo loco in ordine presbyterali. S.R.C. in Monopolitana Primicerii 17 Julii 1732; in Aesina 4 Mart. 1644; in Ianuensi Stalli 14 Augusti 1635 (Ferraris l. c. n. 18); quod viget etiam praesente Coadiuto et per seipsum serviente; in Aesina 4 April. 1705 (l. c. n. 20), cf. l. c. Art. VII. n. 27, 28; S.R.C. in Jordon. 30 Junii 1629 in « Analecta Iuris Pontificali » (Tom. VII, 215 n. 923).

S.R.C. in Aesina 31 maii 1670 invenitur etiam in Decretis auth. n. 1398; in Fontibus C.I.C. vol. VII, n. 5576. S.R.C. 19 Januar. 1692 Coadiutori praecedentiam *in ultimo loco ordinis presbyteralis concedit*, *si* tres ordines habent suam propriam *praebendam*. Dec. auth. n. 1865.

Cf. S.R.C. in Ferrarien. 10 jan. 1609 in « Analecta Iuris Pontificii » vol. 7. col. 90 n. 300; eadem S. C. in Taurinen. 10 nov. 1612 ratione discordiae inter canonicos et coadiutores post mortem respectivi coadiuti declaravit: non esse recedendum a decretis similibus in Causa Colimbricen. 16 sept. 1606 (l. c. col. 126 n. 48). S.R.C. in Casalen. 15 jul. 1617 iterum revocavit ad Causam Colimbricen. (l. c. col. 149 n. 480); idem in Vicentina 18 aug. 1618 (l. c. col. 154 n. 505; idem in Elnen. 20 apr. 1619, ubi haec exceptio habetur: « nisi aliud ex forma coadiutoriae, vel statuto seu consuetudine ecclesiae legitima praescripta statuatur ». (l. c. col. 156 n. 522); eadem revocatio ad Colombricen. in Caesaraugustana 26 sept. 1620 (l. c. col. 161 n. 554); idem in Bergomen. 1 jul. 1626, ubi dicitur priores litteras S. R.C. « non admodum claras fuisse ». (l. c. col. 188 n. 740); idem in Papien. 16 apr. 1639 (l. c. col. 271 n. 1246); in Laudem. 4 aug. 1657 (l. c. col. 341 n. 1559): junior Coadiutor praecedit mox vita functo coadiuto Coadiutori seniori, sed adhuc supersite coadiuto: in Romana 13 jun. 1682 (l. c. vol. VIII col. 1244 n. 2204).

Nota: Coadiutores Canonicorum per Apostolicam Sedem approbati... in funerali pompa sepulturae et exsequiis, simili cum honore et complemento atque veri Canonici Praebendati deducantur ad Sepulturam. Du Cange, Glossarium mediae et infimae Latinitatis, tom. II p. 666 v. Coadiutores.

SECUNDUM DUBIUM

Quisnam locus competit Coadiutori cum iure successionis praebenda Coadiuti legitime vacante?

Statuta respondent: « Ius autem praecedentiae Coadiutores sortiuntur a die *promotionis vel obitus Coadiuti* ». Ius ergo determinatur per promotionem Coadiuti aut per obitum.

Verba Statutorum locum dant discussioni. Finganus duos casus: Petrus canonicus in ordine presbyterali promovetur ad dignitatem in Capitulo. Quem locum obtinet Coadiutor? Ultimum in ordine presbyterali aut ultimum in Capitulo? Idem dicatur de casu obitus.

Responsio haec est: *in utroque casu intrat coadiutor in Canonicatum Coadiuti.*

Assertum probatur. a) *ex ipso textu Statutorum.* Si ius praecedentiae incipit cum promotione aut morte Coadiuti, Coadiutor ibi intrat, ubi alter exit: sed quia *omnes in ordine eodem sunt anteriores ratione verae possessionis*, Coadiutor Coadiuti Presbyteri occupat ultimum locum in Ordine Presbyterali. b) *Ex ipso Brevi Apostolico.*

I. Ipsum Breve concedit Caio, regimen et administrationem *praefati Canonicatus* cum futura *in illo* successione.

II. *Eiusdem Canonicatus* cum futura *in illum* successione.

III. Officio Coadiutoris cessante *et successionis aditu facto.*

IV. In *realem* possessionem *dicti* Canonicatus inducat.

V. E formula: *Nunc pro tunc.*

S.C.C. in C. Melevitana — Pensionis 17 Maii 1851 (Langen — Reuss, Causae selectae in S.C.C. ab anno 1823-1869, propositae, pag. 503-506, n. 309). Pag. 505 *haec pronuntiatur sententia*: « Ea est Coadiutoriae natura, ut veram importet collationem, et quamlibet impediat vacationem, quia licet vacatio succedat post mortem vel cessum Coadiuti, virtute tamen clausulae *ex nunc prout ex tunc* tempus retrotrahitur et ex praeventione Papae iam *consumpta* dicitur *vacatio* ».

Riganti, l. t. vol. III, Reg. 26 n. 42 sq. « licet enim vacatio succedat post obitum Coadiuti, ita ut Coadiutor assequatur Canonicatum saltem postea vacantem, ex hoc tamen non dicitur dari vacatio ad effectum, ut intret Indultum, sed propter Clausulam *ex nunc prout ex tunc Papa tempus futurum ita retrotrahit ad praeteritum* ut statim ac vacat Canonicatus per obitum Coadiuti, ita vacatio dicitur consumpta eodem momento ex praeventione ipsius Papae, ita ut nulla detur vacatio.

Riganti l. c. reg. 45 § 1 n. 33 et 34; n. 32: In Coadiutoria nulla inducitur vacatio, sed beneficium remanet plenum.

S.R.R. *pluries explicat clausulam « ex nunc prout ex tunc ». Clausula denotat inchoationem temporis a die*, qua est apposita, i. e. 16 Kal. Dec. 1948 (Decis. 602 n. 22 P.V.T. 2. Recentiores).

Clausula item operatur, ut unum tempus alteri inesse dicatur. (Decis. 350 n. 8 P. V. tom. 1; Decis 770 n. 3. P. III. Recentiores).

Clausula (nunc pro tunc) operatur translationem possessionis ab initio, licet eius effectus differatur ad tempus mortis (Decis. 38, n. 20 P. 9 tom. 1, et Decis. 380, n. 7. P. 16 Recentiores).

Clausula apposita de beneficio vacaturo operatur, ut gratia statim fit perfecta, nec requirit factum exsecutionis (Decis. 256. n. 3. P. 13 Recentiores).

Demum ut finem imponamus quaestioni, sequentes normae valent:

Coadiutor Dignitatis: post ultimam Dignitatem obtinet locum: S.C.C. in Placentina 11 Dec. 1926. (A.A.S. v. 14 p. 43) Decr. auth. n. 709 ad. 2 De Coadiutoribus cf. Bened. XIV de Synodo lib. XIII. c. 10 n. 21 et n. 26.

D. G. Oesterle O.S.B.

DE INCORPORATIONE MONASTERIORUM MONIALIUM

I. Praefatio:

Institutum iuridicum incorporationis monasteriorum monialium, non obstantibus tot elucubrationibus de iure canonico vigente, hucusque nondum tractatu prolixiore scientifico in jure canonico dignatum est. Ratio huiusmodi neglectus haec esse videtur: Codex I. C. ne uno quidem verbo commemorat Institutum incorporationis, de quo in themate; immo ne usurpat quidem verbum « incorporare [1] ». Nam Codex in canone 615 circa exemptionem Monialium ab Ordinariis locorum, ad quam uti genus incorporatio tamquam species referenda est, sequentem normam statuit: « Regulares, novitiis non exclusis, sive viri sive mulieres, cum eorum domibus et ecclesiis, exceptis iis monialibus, quae Superioribus regularibus non

[1] cf. Lauer, *Index verborum Codicis Iuris Canonici*, Typis Polyglottis Vaticanis 1941. Cancelleria Brevium Apostolicorum utitur termino « unire ». Codex I. C. non habet terminum « incorporatio », sed loquendo de incorporatione parochiae, quae potest esse minus plena, plena, plenissima (cf. can. 1423 § 2 et 1425), utitur voce « unire ». S. C. de Relig. adhibet verbum « incorporare » aut « incorporare pleno iure » v. g. in decreto 11 maii 1926 (n. 2551/26) pro tribus monasteriis monialium Congregationis Beuronen.; 14 jun. 1927 (3173/27 Annales O. S. B. 1927 p. 20 quo monasterium de Maredret O. S. B. incorporatur Congregationi Belgicae O. S. B.); item Litt. Apost. « Monasterii Sanctae Mariae » 18 sept. 1928 (Colwich - Cannington in Anglia) una vice utuntur expressione: monasterium Congregationi Anglicae O. S. B. *aggregatum*, altera vice: abbatiam *incorporatam* (A. A. S. vol. 21 p. 547 sg.). S. R. R. in senstentia 21 jun. 1652 loquitur de incorporatione monasterii Wiltinen. in Ordinem Praemonstratensem (S. R. R. dec. 279 P. XI Recentiorum); de incorporatione professuri in monasterium professionis vide Molitor: Religiosi Iuris Capita selecta v. Incorporatio.

Moniales O. S. B. de Herstelle petierunt a Pio XI, ut earum monasterium Congregationi Beuronensi aggregetur, adsocietur, incorporetur; Pius XI per Breve « Intra fines », 13 mart. 1924 dictum monasterium *aggregavit* statuendo: abbatia noviter erecta dictae Congregationi *subiciatur*: (Annales O. S. B. 1920 1926 p. 48 ssg.). Pius XI commemorat in cit. Litteris « Monasterii Sanctae Mariae » decretum S. C. de Rel. 20 aug. 1926, ubi est sermo de « aggregare ». Hofmeister « Von den Nonnen klöstern » in « *Archiv für Katholisches Kirchenrecht* », vol. 114 (1934) p. 387 nota 3 censet terminum « aggregare » non bene esse electum, quia « aggregare » generaliter respicit materiam indulgentiarum, gratias spirituales, privilegia, quin tamen societas aggregans gaudeat iuribus in aggregatos (cf. can. 492 § 1, 686 § 4, 720-723, 915). Hofmeister notat: l. c. S. C. Ep. et Reg. in suis decretis de 15 maii 1891 et 21 apr. 1893 usurpasse vocem « unire »; ne haec quidem vox ipsi auctori placet: nam « unire » plus dicit quam « subicere » (cf. can. 215 § 1, 494 § 1, 1419-1425); de unione pleno iure forsan in casu monasterii S. Johannis et S. Magni Ameliae sermo esse poterit; de quo postea.

subsunt, ab Ordinarii loci iurisdictione exempti sunt, praeterquam in casibus a iure expressis ». In hoc canone ergo legislator duplicem monialium classem distinguit, illarum sc. quae subsunt superiori regulari et talium, quae Praelato regulari non sunt subiectae. Huic classi ius vigens denegat exemptionem, nisi in casu particulari privilegium in contrarium concessum fuerit. Moniales Praelatis Regularibus non subiectas privari privilegio exemptionis et consequenter ipsas immediate subdi Ordinariis locorum ,facile comprehenditur ex obvia hac ratione: si huiusmodi moniales exemptae essent ab Ordinario loci, immediatus ipsarum superior esset Romanus Pontifex, prout pro viris exemptis [2].

Quia autem mulieres, saltem in novo iure [3], non gaudent iurisdictione, Papa deberet logica consequentia pro singulis huiusmodi exemptis monasteriis constituere Delegatum. Quae inconvenientia, ut vitetur, Codex tales moniales declarat non exemptas ab Ordinario loci; unde ipsarum Ordinarius est Ordinarius loci, in quo situm est respectivum monasterium. Ius Tridentinum statuerat: « monasteria sanctimonialium sanctae Sedi apostolicae immediate subiecta, etiam sub nomine capitulorum S. Petri, vel S. Ioannis, vel alias quomodocumque nuncupentur, ab episcopis tamquam dictae sedis delegatis gubernentur, non obstantibus quibuscumque ». (sess. XXV, de Reg. et Mon., c. 9). Alia classis monialium est ea, quae subsunt, ut loquar verbis Tridentini (l. c.) deputatis in capitulis generalibus vel aliis regularibus v. g. Generali vel Provinciali Ordinum centralizatorum vel Abbati Praesidi Congregationis monasticae vel Abbati regulari regiminis, seu ut can. 615 breviter dicit: Superioribus regularibus. Canon 615 autem non explicite commemorat moniales immediate S. Sedi subiectas; duabus tantum vicibus Codex illarum memoriam expressam facit, sc. in can. 512

---

[2] cf. can. 1557 § 2: personae morales ecclesiasticae, quae Superiorem infra Romanum Pontificem non habent, uti religiones exemptae, Congregationes monasticae.

[3] can. 118. De iure antiquo confer c. 12 X. I. 33; Gonzales, Commentarium in quinque libros Decretalium ad d. caput; de potestate Abbatissae de las Huelgas prope Burgum de Oca (Burgos) in Hispania v. Santi, Praelectiones I. C. in tit. 33 lib. I ad 9; Maroto, Institutiones I. C. pag. 665 nota 3. De Abbatissa monasterii Conversani O. Cist. v. S. C. Ep. et Reg., Castellana seu Nullius Provinc. Baren. de 22 jun. 1708 (Fontes C. I. C. vol. IV n. 1825 pag. 800 sg.); Bizzarri, Collectanea S. C. Episcoporum et Regularium, Romae 1885, pag. 290 sg.; die 19 jul. 1709 Causa reproposita fuit circa quaestionem de cura animarum (l. c. pag. 291); nota 1. dicit: « haec resolutio uti factum historicum refertur, cum huiusmodi iurisdictio abrogata fuerit ». Confer c. 10 X V. 38. Alia exempla potestatis Abbatissarum in « Ferraris Bibliotheca ed. Cassin. » 1855 v. Abbatissa; n. 84-88 citantur praeter abbatissam monasterii Cisterc. de las Huelgas aliae abbatissae in Italia, Gallia, Germania; specialis mentionis digna est Abbatissa Fontis Ebraldi (Fontevrault), quae etiam super monachos tenuit regimen.

§ 1. n. 1. et in can. 525. Canon primo citatus iubet Ordinarium loci quinto quoque anno visitare singula monialium monasteria, quae Sedi Apostolicae immediate subiecta sunt; vi canonis 525 incumbit Ordinario loci officium eligendi sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extraordinarios, si religiosarum domus Sedi Apostolicae immediate subiecta sit [4].

Factum, quod plene iustificat praesentem tractatum, est hoc: idem canon 615 nullum verbum facit de monasteriis sanctimonialium

---

[4] Utrum canones 535 § 1 et 552 § 1 applicandi sint monasteriis monialium immediate S. Sedi subiectis, dependet ab alia quaestione: utrum in cit. canonibus nomine *exemptarum* monialium veniant solummodo religiosae Praelato regulari an etiam illae immediate S. Sedi subiectae. Hofmeister l. c. p. 385 censet hucusque neminem auctorum hanc quaestionem singularem tetigisse. Ratio, qua probabiliter moti interpretes Codicis non tractaverunt expresse tale dubium, necnon ratio, qua suffultus opinor in can. 535 § 1 et 552 § 1 etiam comprehendi moniales immediate S. Sedi subiectas haec est: can. 535 § 1 verbis sat claris edicit: « in *quolibet* monialium monasterio *etiam exempto* ». Iamvero « quolibet » comprehendit per se omnia quantumvis minima (cf. S. R. R. Dec. 135 n. 21 P. 16 in Recent.: can. 265; 535 § 1 n. 4; § 2; 846; 188: quaelibet officia vacant, si; 1646: quilibet potest agere, nisi; 2250 § 3); insuper illud « in *quolibet* monasterio » contradistinguitur in eodem canone per phrasim: « in *aliis* mulierum religionibus »; can. 552 loquitur sine ulla restrictione de Antistita religiosarum etiam exemptarum. Trident. in c. 17 Sess. 25 de Reg. et Mon. eundem sensum insinuat; immo schema ad hoc caput expresse notaverat; « etiam si immediate Sedi Apostolicae subiciantur ». Hofmeister « Von den Nonnenklöstern » in « *Archiv für Katholisches Kirchenrecht*, vol. 114 (1934) p. 385 quaestionem movet, utrum can. 600 n. 4, 601 § 2.; 647 § 1. etiam monialibus immediate S. Sedi subiectis applicandi sint, prout voluit Biederlack-Führich, de Religiosis 1919 n. 136 et 172 et Schönsteiner. Ordensrecht p. 94 et 628. Hofmeister non audet iudicium ferre de cit. opinione; censet tamen quaestionem haud momentaneam solutionem postulare, quia ante Codicem ipsi solummodo duo monasteria nota erant, quae iure Tridentino subiecta erant immediate S. Sedi, non sub iurisdictione Ordinarii loci, sc. monasterium O. S. B. de « Claro » et monasterium O. S. A. de « Locarno ». Opinio auctorum citatorum ex tota Codicis indole iustificata videtur, salvo iure consuetudinario aut speciali indulto. Alia monasteria monialium sub immediata subiectione S. Sedis gubernata fuerunt per speciales Legatos v. g. certa monasteria in Helvetia. Speciali mentione dignum est « Protomonasterium » S. Clarae Assisien. Per Litt. Apost. « Postquam virgo » de 30 jul. 1880 (Acta Leonis XIII vol. 2 p. 105 ssg.). Leo XIII dictum monasterium immediatae iurisdictioni S. Sedis subiecerat et Cardinalem Protectorem O. F. M. pro tempore delegavit ad iurisdictionem exercendam. Cum autem Pius X. ipse, singularis benevolentiae causa, sibi eiusmodi protectionem reservavit, decrevit per Litt. Ap. de 9 aug. 1912 « Quamquam septimo », ut loco Cardinalis Protectoris Cardinalis Legatus a Pontifice eligatur, addendo: tamquam vicarius natus Cardinalis Protectoris vel Legati habeatur Minister provincialis seraphicae provinciae a S. Clara, incolumi Ministri generali iure. (A. A. S. vol. IV p. 557-565). Hofmeister l. c. p. 387 allegat alia duo monasteria O. S. B. immediatae S. Sedi subiecta, sc. S. Margaritae in Fabriano (Pius VII per Breve « Cum in apostolico », 12 febr. 1801) et Cannington-Colwich (Gregor. XVI per Breve « Inter sacras virgines » 16 jul. 1833); a. 1926 hoc monasterium incorporatum fuit Congregationi monasticae O. S. B. Angliae (cf. A. A. S. vol. 21 p. 547).

Ordini regulari aut Congregationi monasticae aut particulari virorum coenobio *incorporatis* pleno iure. Quae incorporatio a Codice non fuit respecta; nam fundatur in speciali privilegio Romani Pontificis; unde ex propria lege suas regiminis normas accipit. Ne novissimus quidem simulque copiosissimus scriptor de jure Regularium, P. Schaefer, commemorat in tractatu de Religiosis (ed. 4) n. 1273 monasteria monialium incorporata.

II. Notio incorporationis:

Incorporatio significat in sensu proprio actum, quo natura aliqua corpore donatur; hinc pro « incarnatione » sumitur; improprie seu in jure Romano significavit bonorum alicuius rei damnati ad fiscum delatio [5]. Incorporare significat ergo in sensu proprio: unire, coniungere in uno corpore et donare corpore; in sensu improprio usurpatur pro « adscribere corpori aut collegio [6]. In iure canonico incorporatio sensu technico significat unionem sive bonorum temporalium [7] sive Institutorum et officiorum ecclesiasticorum cum alia persona morali collegiali aut non collegiali [8].

---

[5] Forcellini, Lexicon Totius Latinitatis, ed. 1940 v. incorporatio; de incorporatione bonorum in Fiscum v. Decis. 627. n. 9 P. IV. tom. 3 in Recent.; cf. l. 7 si quis C. IX 49; Rubr. C. X. 10: de incorporatione.

[6] Forcellini, l. c. v. incorporare: Du Cange, Glossarium mediae et infimae Latinitatis v. incorporare.

[7] cf. S. R. R. dec. 258 n. 5 P. 18 tom. 1. Recent. loquitur de incorporatione regni Navarrae cum regnis Legionis et Castellae. Patet hic sumi vocem « incorporatio » in sensu non canonico; cf. Du Cange l. c.

[8] Pöschl publicavit in « *Archiv für katholisches Kirchenrecht* », vol. 107 (1927) p. 44-177; 497-560; vol. 108 (1928) p. 24-86 tractatum « Die Incorporation und ihre geschichtlichen Grundlagen » (de incorporatione eiusdemque historicis fundamentis): in vol. 107 p. 48 nota 1. haec habentur: incorporatio in sensu unionis ecclesiasticorum officiorum et Institutorum non occurrit ante saec. 13. Fontes antiquiores saeculo 13 sunt partim falsificati partim interpolati aut in falsum locum positi; cf. Sägmüller, Kirchenrecht, ed. 3 vol. 1 p. 310 nota 3. Codex I. C. numquam usurpat terminum « incorporatio » pro unione parochiae cum alia persona iuridica v. g. monasterio (can. 1423 § 2; 1425). Conc. Basileen. Sessio VIII cap. 2 (Mansi, Coll. Conc. vol. 29. 46) disserit de incorporatis et iucorporandis beneficiis. De incorporatione pleno iure dioecesis Lauretanae in Recineten. cf. A. A. S. vol, 26 p. 578. De incorporatione profitentis vota religiosa in monasterium professionis cf. Molitor, l. c. v. incorporatio.

Ad illustrandam incorporationem monasterii in Ordinem haud absquo utilitate erit allegare Sententiam S. R. Rotae de 21 jun. 1652 (decisio 279 P. 11 in Recent.). Agitur de Praemonstratensium Abbatia Wilten, dioec. olim Brixinen., fundata ante a. 1138, confirmata per diploma Apostolicum a. 1138. Per duo saecula lis fuit inter Episcopum Brixinen. et monasterium circa exemptionem. Die quo supra ventilata fuit quaestio: utrum laudatus conventus incorporatus sit Ordini Praemonstratensium et sit exemptus a subiectione Episcopi. S. R. Rota habuit monasterium Wiltenense incorporatum Ordini Praemonstratensium ex sequentibus argumentis:

Incorporatio sumitur enim in duplici sensu: technico et non technico; si incorporatio sumpta fuit in sensu technico, doctrina triplicem distinxit incorporationem, sc. non pleno iure, pleno iure, plenissimo iure; prima vocata est etiam incorporatio quoad *temporalia tantum*. Per huiusmodi unionem ens incorporatum non mutavit suum statum iuridicum, sed remansit in suo statu iuridico prout antea; si agebatur de ecclesia curata seu parochiali saeculari, quae monasterio sub hac forma fuit incorporanda, talis ecclesia esse saecularis continuavit; cura animarum commissa fuit parocho saeculari instituendo ad vitam ab Episcopo, a quo plene dependebat quoad curam animarum. Monasterio incorporanti competiit ius de fructibus beneficii in certa mensura participandi et nominandi parochum [9]. Secunda species est incorporatio pleno iure. In tali unione

---

1) plures scriptores Chronistae ante motam litem seu tempore non suspecto loquuntur de tali incorporatione. Quamvis tales Chronistae non faciant plenam probationem, tamen ex subsequentibus adminiculis habent veritatis praesumptionem. 2) Innoc. II in litteris a. 1138 Marquardo Praeposito Wiltenen. missis enuntiavit dictum monasterium factum fuisse Ordinis Praemonstraten., quem conservare ibidem statuit iuxta normam et Constitutionem dicti Ordinis, et Episcopo Dioecesano vult servatum tantum ius Chrismatis, Olei sancti, Consecrationem. 3) Regimbertus episcopus Brixinen. narrat se a. 1140 *auctoritate Apostolica* visitasse monasterium. 4) Abbates Wiltinen. intervenerunt Capitulis Generalibus et provincialibus Ordinis, in quibus iuramentum praestiterunt Generali et vocem activam et passivam habuerunt, dum in eisdem Capitulis uti Vocales elegerunt Visitatores Ordinis, et ipsi quandoque tales electi fuerunt: vigore Constitutionum Ordinis nullus intervenire potest Capitulo generali, nisi sit de gremio. Rota allegat facta correspondentia. 5) Perplures visitationes canonicae a Visitatoribus Ordinis in dicto monasterio peractae fuerunt; plures electiones abbatum celebratae sunt praesidente Visitatore Praemonstratensi; insuper novus electus confirmatus est per Superiorem Ordinis. 6) Monasterium Wiltense translatum fuit de circulo seu provincia Sueviae in circulum Bavariae auctoritate abbatis seu Capituli Generalis; unde necessario infertur subiectio Capitulo Generali, ad quod solum spectat divisio et translatio provinciarum.

Tandem Rota solvit tres difficultates: 1) monasteria Ordinis Praemonstraten. non dicuntur constituere unum corpus, sed esse omnino separata. Responsio haec fuit: licet in dicto Ordine quodvis monasterium habeat unum caput de per se, tamen singula monasteria subiacent Abbati Generali et accedunt ad Capitulum Generale. 2) Anno 1558 Abbas Wiltenen. recusavit Visitatores Ordinis admittendos; respondit Rota: iste actus tamquam turbativus fuit contradictus per subsequentem suspensionem Abbatis. 3) iura per ordinem producta non sunt in forma probanti. Responsum fuit: quod saltem plura fuerint compilata vigore compulsorialis Rotalis; et alia postea adducta sunt publica Instrumenta, antiqua, legalia; sic licet aliqua informia visa fuerint, suppleri posse ex tot aliis probationibus.

Quibus praehabitis responderunt Domini: constare de bono iure Ordinis Praemonstratensis.

[9] cf. C. I. C. in can. 1425 § 1. De hac incorporatione tractat Dominicus Lindner in suo novissimo opere: « die Lehre von der Inkorporation in ihrer geschichtlichen Entwicklung », München 1951 p. 1-94. In prima Sectione respicit doctrinam in medio aevo vigentem (octo paragraphi): in secunda evolvit doctrinam a Tridentino

titulus paroeciae transfertur in monasterium, ita ut conventui seu personae morali competat cura animarum, exercenda aut per regularem eiusdem Ordinis aut per clericum saecularem probandos et instituendos ab Ordinario loci, cui subest in omnibus, quae respiciunt curam animarum ad normam iuris. Insuper talis unio mutat statum beneficii et reddit ex saeculari regulare [10]. Ille, qui exercet curam animarum, non vocatur parochus, sed vicarius; si est religiosus, est amovibilis. Si talis incorporata parochia dismembratur, pars dismembrata evadit saecularis. Tertia species unionis ea est, quae dicitur facta plenissimo iure et est quodammodo exstinctio tituli saecularis respectivae ecclesiae. In tali incorporatione non solum titulus parochiae transfertur in monasterium regularium vel aliud ens morale, sed ipsa plebs parochialis eximitur a iurisdictione Episcopi et subicitur enti morali incorporanti. Per talem incorporationem constituitur territorium separatum, quod est neque in neque de diocesi, et plenitudo iurisdictionis residet in persona morali incorporanti [11]. Codex hanc incorporationis speciem ignorat. Non convenit amplius respicere hanc triplicem incorporationis speciem [12];

usque ad saeculum decimum nonum (decem paragraphi): insuper indicatur copiosa Litteratura. Idem auctor publicavit: « Die Inkorporation im Bistum Regensburg während des Mittelalters » in « Zeitschrift der Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte 67 und 68, Kanonistische Abteilung 36 (p. 205-327) und 37 (p. 164-220): « die Inkorporation im Bistum Regensburg seit dem Konzil von Trient ».

[10] cf. C. I. C. § 2 can. 1425.

[11] cf. Trident. cap. XI Sess. 25 de Reg. ubi haec incorporatio commemoratur cum hisce verbis: « excepto monasterio Cluniacensi cum suis limitibus, et exceptis etiam iis monasteriis seu locis, in quibus abbates generales (quaedam editiones Tridentini habent erronee: abbates, generales) aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent atque aliis monasteriis seu domibus, in quibus abbates aut alii regularium superiores iurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent ». (cf. Santi-Leitner, *Praelectiones iuris canonici*, ed. 3 lib. III. tit. 37 n. 1-4; Reiffenstuel Jus Canonicum, lib. III. tit. 37 n. 2 sgg.: passim auctores in hunc titulum.

[12] De hac incorporatione est sermo in notabili et uberrima dissertatione supra citata cel. Pöschl. Forsan opinio Canonistarum circa triplicem incorporationis speciem et opinio cl. Pöschl, qui respuit consuetam divisionem incorporationis quoad temporalia tantum, pleno iure, plenissimo iure ita componi poterit: Canonistae supponunt tamquam obiectum incorporationis ens *ecclesiasticum*; Pöschl considerat ens saeculare seu feudum (cf. l. c. p. 521; cf. p. 543 ssg., ubi est sermo de incorporatione in sensu iuris canonici (incorporatio plena et plenissimo iure) p. 542: incorporatio ecclesiarum imitata est incorporationem communiter exercitam bonorum temporalium. Brevi manu tangendus est finis, quem incorporatio in sensu iuris canonici prosecutus est. Incorporatio locum habuit aut ad sublevandum Institutum, quod fuit incorporans aut etiam, quod ab auctoribus hucusque non fuit satis consideratum, ad sustentandum et corroborandum Institutum, quod fuit incorporandum (l. c. p. 71; auctor assertum illustrat per exemplum incorporationis abbatiae Mimeleinensem (Memleben in Thuringia) in abbatiam Heroluesueldensem (Hersfeld in Hassia) a. 1015. Imperator Henricus II perspexerat penuriam fratrum

nam incorporatio, de qua in hoc tractatu, sumenda est in sensu *non technico.*

In sensu non technico terminus « incorporatio » sumitur pro diversis Institutis iuridicis. Terminus « incorporatio » in sensu non technico fuit imprimis in usu illis temporibus, in quibus incorporatio in sensu proprio nondum plenam evolutionem receperat, i. e. usque ad medium saeculi XIII. Cum studio et amore nomen incorporatio usurpatum est pro affiliatione monasterii ad Ordinem regularem [13]. Incorporatio in hoc sensu fuit illo tempore frequentioris usus. Per se huiusmodi affiliatio non secum tulit subiectionem specialem relate ad Institutum, quod concessit huiusmodi affiliationem. Quandoque in ipso actu affiliationis statuitur tamquam accessorium specialis subiectio [14]. Quandoque incorporatio significat relationem

---

in abbatia Mimolava famulantium et decrevit hoc modo eis providere, ut eamdem abbatiam Heroluesueldensi abbatiae traderet, ea scilicet ratione, ut ex Arnoldi, abbatis Heroluesueldensis suorumque successorum industria *ac eiusdem abbatiae copia iam dictorum fratrum relevetur inopia.* Quandoque fontes referentes incorporationem pro certis casibus lamentantur de tristibus effectibus huiusmodi actus, in quantum sc. abbatia incorporans ex tali facto non emolumentum, sed damnum percepit. Ratio huius damni posita fuit in certis condicionibus oeconomicis in casu verificatis. Non licet concludere ex singularibus casibus ad ipsum institutum incorporationis tamquam damnosum. Memoria dignum est cap. XVII Synodi Trevirensis (Mansi, Coll. Conc. vol. 25 253 sg.).

[13] Pöschl l. c. vol. 107 p. 556; in nota 1 auctor illustrat exemplis materiam: Abbas monasterii Clari Campi (Klaarkamp in Frisia Hollandiae) supplicavit a Capitulo Generali Cisterciensium ut abbatiam quandam Nigrorum Benedictinorum Ordini Cisterciensi incorporaret. (a. 1216). Porro Priorissa et conventus monasterii de aula S. Petri, Coloniensis dioecesis, gestantes habitum Cisterciensis ordinis et instituta servantes eidem incorporari desiderabant. Innoc. IV. a. 1247 incorporationem concessit et subiecit monasterium monialium abbati Heisterbacensi O. Cist. (Heisterbach in Rhenania: aliud nomen est: Vallis S. Petri). Postquam auctor duo exempla ex. a. 1248 et 1252 allegavit, commemorat ex a. 1310 petitionem factam generali capitulo Cisterciensium super incorporatione abbatiae Vallis Gratiae et quod sit filia de Estrebach. Tandem in documento a. 1279 est sermo de monialibus, quae ordini Cisterciensi fuerant incorporatae.

[14] Episcopus Merseburgensis indulsit a. 1279 monialibus monasterii vulgo Marienthron (thronus Mariae), ut sint et permaneant incorporatae ordini Cisterciensium cum omnibus iuribus et libertatibus eiusdem ordinis *hoc adiecto*, ut abbati Portensis (Pforta in Thuringia) monasterii perpetuo sint subiectae et episcopo pro tempore respondeant de iuribus episcopalibus. (Pöschl l. c. vol. 107 p. 557 nota 1.). S. C. de Rel. die 10 maii 1927 edidit Decretum, quo Conventus Volders - Innsbruck transfertur in Abbatiam Altahensem et Congregationi Bavaricae O. S. B. incorporatur (Annales O. S. B. a. 1927 p. 1809). Leopoldus, Princeps Episcopus Seccoviensis, die 17 jun. 1919, scripsit litteras Raphaeli Molitor O. S. B., pro tempore Praesidi Congregationis Beuronensis ratione translationis canonicae abbatiae monialium S. Gabrielis, urbis et archidioecesis Pragensis in Bohemia ad castellum Bertholdstein in Pago Styriae Pertlstein, dioecesis Seccovien. Qua in epistola Episcopus utitur sequenti termino: « monasterium monialium Sancti Benedicti ad S. Gabrie-

filiationis. Sic v. g. ecclesia filialis dicitur ecclesia matrici incorporata [15]. Tandem vox « incorporatio » sumitur in alio prorsus sensu in lingua Conciliorum [16]. Ad terminologiam pressius determinandam notemus oportet: adhuc in secunda parte saec. XIII vox « incorporatio » nondum communiter usurpatur pro actibus iuridicis, qui characterem verae incorporationis prae se ferunt. Ex altera parte nomen « incorporatio » neque semper neque in omnibus casibus significat seu importat id, quod dicimus incorporationem in sensu juris canonici [17].

Ex hucusque allegatis luce clarius apparebit incorporationem in nostro tractatu usurpari in sensu non technico, sc. pro unione in sensu affiliationis, non autem pro unione iuridica monasterii cum alia persona morali sive ad temporalia tantum sive pleno iure. Ut status quaestionis concinne concipiatur, sensus dictae incorporatio-

---

lem in suburbio Smichow prope Pragam, anno 1889 neofundatum et anno 1891 Congregationi Beuronensi *incorporatum* ».

In Decreto eiusdem Episcopi de 6 dec. 1919 ad Abbatissam S. Gabrielis habentur verba: « consentimus, ut eadem, qua vi indulti Apostolici in archidioecesi Pragensi olim gaudebant, exemptione et subiectione Praesidi Congregationis Beuronensis *tamquam membra eiusdem Congregationis* pariter et in Nostra dioecesi in posterum fruantur »,

Raphael Walzer, illo tempore Praeses Congregationis Beuronensis O. S. B. supplicavit S. Sedem die 16 jan. 1923, ut moniales O. S. B. de perpetua adoratione apud Herstelle, archidioecesis Paderbornen. in dictam Congregationem « *suscipiantur* »; idem Praeses sibi persuasum habuit « conventum unanimiter desiderare *incorporari* Congregationi Beuronensi. Anno sequenti idem Archiabbas adiit S. Sedem petiturus, ut ad annum pro abbatia noviter erecta nominetur priorissa, non abbatissa. Quo in supplici libello habentur verba: « Per Decretum S. Congregationis de Religiosis d. d. 23 jan. 1924 (n. 3156/23) Monasterium Monialium s. Crucis de Herstelle, dioecesis Paderbornen. erectum est in Abbatiam, quae eodem Decreto *incorporata est* Congregationi Beuronensi ». Idem libellus loquitur » de *unione* cum Congregatione Beuronensi peracta ». Iam die 1 maii 1923 Ordinarius Paderbornen. in epistola ad S. Sedem testatur dictas moniales desiderare « Congregationi St. Martini de Beuron *associari* et *incorporari* »; unde Episcopus omnibus perpensis humiliter petit, ut Sanctitas Vestra concedere dignetur, ut *aggregetur* monasterium Herstellense Congregationi Beuronensi O. S. B. Ipsae moniales sub data 24 jan. 1923 preces porrexerant Praesidi Congregationis Beuronensi.

[15] Pöschl l. c. pag. 557, ubi notionem hanc explicat per exemplum.

[16] Conc. Basileen. in Sessione quinta Kal. jul. 1439 celebrata elargitur indulgentias « omnibus et singulis, qui tantum nostrae congregationi incorporati fuerunt et etiam usque ad festum Assumptionis Mariae Virginis tunc futurum incorporarentur ». (Mansi, Coll. Conc. vol. 29.222). Idem Concilium III Non. aug. 1435 concessit quasdam praerogativas graduatis incorporatis Concilio, expeditas 11 dec. 1435 l. c. 410 sg.; l. c. 435 habetur Bulla praerogativarum concessarum incorporatis (corporatis) « nostrae congregationi ». Alia exempla apud Pöschl l. c. p. 558 nota 2.

[17] Poeschl l. c. p. 558-560.

nis pressius enucleandus est. Sequimur tractatum cl. Hofmeister « von den Nonnenklöstern » [18].

Patet ex ipsis terminis: monasteria monialium vi can. 615 Ordinario loci aut ex privilegio immediate S. Sedi subiecta non posse dici incorporata pleno iure Ordini regulari, Congregationi monasticae, monasterio. Insuper incorporatio plus dicit quam illud « subesse Superioribus Regularibus », de quo can. 615; alii termini in Codice usurpati pro significanda eadem relatione sunt: « subicere » [19], « subdi » [20], « esse sub iurisdictione Superiorum Regularium » [21], esse obnoxium regularibus » [22], « dependere a Superiore Regulari » [23], « esse exemptum » [24]. In eodem sensu Curia Romana utitur vocabulo « aggregare ». Moniales O.S.B. Heristallenses, vulgo de « Herstelle » petierunt ab archiabbate Beuronensi, illo tempore Praeside Congregationis monasticae, de re benedectina optime meritae, ut laudatae Congregationi « aggregarentur ». Antistita vero monasteri Heristallensis ad Romanum Pontificem retulit communitatem per maioritatem suffragiorum fere unanimem, maxime cupere, ut illud monasterium « adsocietur et incorporetur » Congregationi modo citatae. Pius XI mandavit ut monasterium Heristallense Congregationi Beuronensi O.S.B. « adgregetur »; eademque abbatia — per idem Breve canonica erecta — Congregationi Beuronensi « subiciatur » [25].

Regimen monialium subiectarum praelato regulari vi can. 615 est diversa ratione consuetudinum ex plurimis saeculis in hac materia vigentium. Ad instar axiomatis iuridici iurisdictio pro foro externo residet in manu praelati regularis vigetque can. 500 § 2: « Moniales, quae sub iurisdictione Superiorum regularium sunt, Ordinario loci subduntur tantum in casibus iure expressis. Quinam de facto sint illi « Superiores regulares », eruendum erit ex Constitutionibus approbatis singulorum monasteriorum aut ex saeculari observantia. Teste Hofmeister [26] possumus in regimine huiusmodi monialium tria systemata distinguere in quantum *ius Codicis* respicitur: I. Communiter loquendo monasteria monialium subsunt

---

[18] *Archiv. für Katholisches Kirchenrecht*, vol. 114 (1934) p. 387 ssg.
[19] can. 506 § 2; 525; 533 § 1 n. 1; 652 § 2; 1338 § 2.
[20] can. 512 § 2; 527.
[21] can. 500 § 1, 611.
[22] can. 580 § 3; 647 § 1.
[23] can. 549.
[24] can. 529; 535 § 1.; 552 § 1.; 645 § 2.; 1338 § 2.
[25] Annales O. S. B. a. 1920-26 p. 48-50.
[26] l. c. p. 390 ssg.

vicino abbati tamquam Ordinario; v. g. in Helvetia quoad moniales O.S.B. [27]. Etiam in Ordine Cisterciensium monasteria monialium subdita erant vicino abbati, qui ipsis fuit « Pater immediatus ». Sed monasteria Cisterciensia speciale quid prae se tulerunt in oppositione ad coenobia Benedictina; moniales Cistercienses non solum militarunt sub Patre immediato, sed fuerunt ab initio membra totius Ordinis; qua talia fuerunt sub regimine Capituli Generalis, in quo Pater immediatus earum rationibus consuluit et commodis servivit [28].

Ad hanc regiminis formam pertinet etiam monasterium monialium Praemonstratensium de « Oosterhout », dioec. Bredan. Dictum monasterium per decretum S. C. de Rel. 1 sept. 1928 iterum Ordini Praemonstratensi aggregatum fuit; abbas de « Tongerloo » est monialium Ordinarius. In hisce monasteriis iurisdictio in monasteria monialium residet in manu abbatis vicini, in quantum possibile; eiusdemque auctoritas quandoque limitatur per clausulam: « salvo iure Capituli generalis ».

Secundum regiminis systema est centralisticum, consistens in hoc: iurisdictio in moniales residet aut in ipso capite Ordinis totius aut in Praeside Congregationis monasticae, salvo iure Capituli generalis, dummodo partem habeat in regimine monialium [29]. Porro simili iure reguntur illa monasteria monialium, quae subsunt Ordinibus sic dictis centralizatis v. g. Clarissarum, Dominicarum, Carmelitanarum. Imprimis Prior aut Minister aut Magister Generalis in hisce monasteriis exercent iurisdictionem; in actu professionis

[27] monasterium « Seedorf », dioec. Curien , et « Fahr », dioec. Basileen, subest abbati Einsidlensi; « Hermetschwil - Habstal, archidioec. Friburgen. in Germania post suppressionem monasterii Hermetschwil in Helvetia subditum est abbati de Muri-Gries; monasterium « Sarnen » dioec. Curien. subiectum est abbati de Engelberg. Qui status regiminis monialium non fuit mutatus, quando sub initium saec. XVII monasteria Helvetica O. S. B. sese univerunt in Congregationem monasticam.

[28] Systematı modo proposito indulgent adhuc Cistercienses Germaniae - Austriae. Abbati Augiae Maioris (Mehrerau) iure ordinario subsunt monasteria Eschenbach, Frauenthal, Magdenau, Marienstern, Wurmsbach; abbati de Marienstatt subdita sunt monasteria Maigrange. Oberschoenenfeld, Thyrnau. (cf. S. C. de Rel. de de 11 jan. 1913; 15 oct. 1922; 28 febr. 1925); Conventus de Marienstern und Marienthal dioec. Misnen. in Saxonia et ille de Himmelpforten dioec. Brunen. pertinent ad Congregationem de purissimo corde Mariae, a Pio XI a. 1923 erectam in Cecoslovachia. « Visitator natus » est Abbas de Osseg, qui Vicario Generali dictae Congregationis rationem reddere debet.

[29] Quod systema observatur in monasteriis monialium O. S. B. Congregationis monasticae Anglicae subiectis; sunt sequentia: Colwich et Stanbrock in archidioec. Birmingamien., et Holme-Eden in dioec. Hagulstadien. et Novocastren. Huc pertinent monasterium monialium in civitate S. Pauli situm, subiectum Congregationi monasticae Brasilianae et S. Hildegardis prope Eibingen, Congregationi Beuronensi addicta.

religiosae moniales promittunt oboedientiam, ita ex. gr. apud Dominicanas et Carmelitanas; ipsi Superiori prae omnibus aliis competit ius confirmandi Antistitas et peragendi visitationes canonicas. Quaedam iurium ex Constitutionibus approbatis exercentur per Provincialem competentem v. g. consensus dandus pro admissione ad professionem, praesentatio confessariorum [30]. Tertia classis complectitur illa monasteria monialium, quae sui iuris sunt, quin pertineant ad iurisdictionem Ordinis virorum aut ad Congregationem monasticam. Exemplum fuit ab a. 1920-1927 abbatia S. Scholasticae de Maredret in Belgiis. Postquam enim Bened. XV per Litt. Apost. « Ordo a divo » de 20 febr. 1920 monasteria quaedam O.S.B. in Belgiis separavit a Congregatione Beuronen. eaque in novam Congregationem benedictinam erexit, sequentes de dicta abbatia S. Scholasticae hucusque ad Congregationem Beuronensem pertinente normas statuit: abbatia S. Sholasticae de Maredret a Congregatione Beuronensi independens esto, et Abbati Primati Ordinis subiecta remaneat, quousque ab hac Sancta Sede aliquid definitive statuatur [31]. Quod factum est per incorporationem dicti parthenii in Congregationem Belgicam die 14 jun. 1927. Simile quid asserendum de Tertiariis O. S. Fr. in loco « Montorge » in Helvetia. Ex tempore suae fundationis a. 1629 conventus subiectus erat Nuntio Apostolico Luceriae (Lucerna) residenti, post abolitam hanc Nuntiaturam Ordinario Diocesano. Post restitutam Nuntiaturam quaestio a Nuntio et Ordinario proposita fuit Sedi Apostolicae: quisnam habendus sit Ordinarius laudati parthenii. Bened. XV. sub data 9 febr. 1921 cum sapientia Salomonis hanc dedit solutionem: Superior regularis, de quo can. 615, sit provincialis provinciae Helveticae O. Fr. Min. Cap. [32].

---

[30] Ordines virorum nominati in comparatione ad priora saecula sub se habent relative pauca monasteria. Hofmeister l. c. p. 391 quaedam enumerat: pro Clarissis Bressanone, Camerino, Lucca, Foligno, Megen, Ammerzoken, Pilburg, Helmond in Hollandia; pro Dominicanis Friesach in dioecesi Gurcen., Cracovia, Lisbona, insuper Dorgheda et Galweg in Hibernia; pro Carmelitanis Himmelspforten et Vilsburg in Bavaria.

[31] A. A. S. vol. 12 (1920) p. 102 sg.

[32] Noster tractatus non respicit illas moniales, quae vi can. 615 subsunt Ordinario Loci. Solummodo pro Urbe hoc specialissimum dignum est, quod notetur: Pius X per Const. Apost. « Etsi Nos » de 1 Ian. 1912 novas normas dedit Vicariatui Urbis; n. 31 haec statuuntur: « Cum expediat, ut monasteria aliaeque religiosae mulierum domus, quae in Urbe sunt, uni eidemque ordinariae iurisdictioni subsint, decernimus et statuimus, ut omnes in posterum, a die quo haec Constitutio vim et executionem habere incipiet, auctoritati et ordinariae iurisdictioni unius Cardinalis Vicarii subiectae sint, suppressis exemptionis privilegiis, quibus earum nonnullae aliquibus S. R. E. Cardinalibus aut Praelatis saecularibus aut regularibus obnoxiae erant ». (A. A. S. vol. IV 1912 p. 12).

Praeter hanc triplicem speciem subiectionis monialium erga Praelatum, de qua in Codice, novissime i. e. post Codicem novae duae species, quibus iurisdictio in moniales specificatur, originem sumpserunt.. In respectivis statutis, occurrunt termini « incorporare », « pertinere ».

Incorporatio in sensu horum Statutorum potest definiri: incorporatio est monaasterii monialium cum Ordine regulari aut Congregatione monastica talis unio, qualis universam in huiusmodi monasterium iurisdictionem adiudicat Praelato regulari, duabus materiis exceptis, de quibus in secunda parte nostri tractatus.

Specialitas quaedam, quae nostrum tractatum magis illustrat, habetur in Ordine S. Benedicti [33]. Agitur enim de tribus monasteriis monialium O.S.B., quae subsunt Ordinario loci, qui est insimul Praelatus regularis [34]. Difficile erit ponere absolutum limitem inter potestatem, quam exercet Ordinarius loci et quam sibi propriam dicit Praelatus regularis; monasteria sunt: illud in urbe « Cassino », quod subditum est Ordinario Nullius Montis Cassini simulque abbati archicoenobii; alterum est Sublacense, quod ex una parte nunc est membrum Congregationis monasticae Sublacensis, ex altera autem parte subest vi Brevis Apost. Gregorii XIII. de 25 oct. 1583 *exclusivae* iurisdictioni Abbatis Sublacen. Particulari attentione dignum est monasterium O. S. B. Ameriae (Amelia) situm ratione exercitii iurisdictionis abbatis S. Pauli de Urbe [35]. Tempus funda-

---

[33] Iuxta Hofmeister l. c. p. 393 sunt pauca huiusmodi ordinata parthenia: ex Ordine S. Benedicti commemorat quinque: sc. Talacre in dioecesi Meneven. (Menevia in Anglia), S. Gabrielis apud Bertholdstein in Austria, Herstelle, Kellenried in Germania, *Maredret in Belgiis:* pro monasterio Herstelle vide Breve Pii XI « Intra fines » de 13 martii 1924 (Annales O. S. B. 1927 p. 48-50) pro monasterio de Maredret Decretum S. C. de Rel. 14 jun. 1927 (l. c. a. 1920-26 p. 20). Formalis incorporatio trium asceteriorum monialium in Congregationem Beuronensem, sc. S. Gabrielis de Bertholdstein, S Crucis de Herstelle, S. Erentrudis de Kellenried, facta est a Pio XI per Decretum S. C. de Relig. die 11 maii 1926 (Annales O. S. B. a. 1920-26 p. 61 in Brevi « Constat » de 7 aug. 1926). In Catalogo, cui titulus: « Ss Patriarchae Benedicti familiae confoederatae » ex a. 1950 p. 453 ssg. modo nominata parthenia allegantur tamquam Praelatis Regularibus subiecta. In Decreto pro abbatia Talacre edicitur Capitulum generale Congregationis Anglicae elegisse abbatissam et moniales in « Sodales Congregationis »: S. C. de Relig. petitionem confirmavit hisce terminis: « iuxta preces ad normam Sacrorum Canonum », in aliis duobus modo citatis Decretis usurpatur verbum: « incorporare ». Hofmeister non sine ratione animadvertit: desiderandam esse fixam terminologiam pro singulis specialibus relationibus iurisdictionis inter moniales et Ordinem virorum correspondentem.

[34] de mutatione pro conventu « Amelia » ultimis temporibus facta postea erit sermo.

[35] *Analecta Iuris Pontificii*, Series 26, vol. 25 p. 302-308. Quam Causam censuimus fusius tractandam: nam ex una parte ante oculos ponit summam difficul-

tionis monasterii S. Magni dioecesis et urbis Ameriae (Amelia) est incognitum ratione documentorum ablatorum tempore revolutionum; sed constat Benedictinos S. Pauli de Urbe gavisos fuisse monasterio in territorio Amerino. Qui monachi gavisi sunt ecclesia et bonis S. Iacobi cum adnexo pro infirmis hospitali. Diploma a. 1193 in archivio S. Pauli reconditum edicit: « tibi presbyter Tebaldo servienti de ecclesia S. Iacobi de Redere ad honorem et utilitatem Sancti Pauli de Roma ». Benedictini sibi acquisiverunt postea alias duas ecclesias, sc. S. Magni et S. Cataldi. Per Bullam « Debitum pastoralis officii » Bonifacii IX de 13 febr. 1390 [36] monasterium S. Mariae de Canalibus, hucusque subiectum episcopo Ame-

---

tatem componendi in singulis casibus iura Episcopi et Praelati regularis; ex altera parte haec Causa sinit capere necessitatem strictae terminologiae in iure canonico, ne vox ambigua ansam det ad lites per saecula continuatas.

[36] cf. MARGARINI, *Bullarium Casinense*, vol. II Const. 280 p. 288. Summarium p. 287 habet veram datam, sc. 16 febr.; textus supra allegatus ex Analectis exhibet falsam datam 13 febr.; nam Bulla expedita est d. XIV. Kal. Mart. Annus in Bullario Casinen. est falsus: bulla est ex a. X: iamvero Bonifacius proclamatus est pontifex 15 nov. 1389: ergo 16 febr. anno X erit 16 febr. 1399. Occasio dictae Bullae haec fuit: abbatissa et conventus S. Magni de Ameria et Beatae Mariae de Canali exposuerunt, quod « tam propter guerras quam alias malas dispositiones et calamitates, quae partes illas diutius afflixerunt prout adhuc affligunt, monasteria ipsa adeo in suis facultatibus et bonis sunt diminuta, quod ex eis Abbatissae et Conventus ipsarum congrue sustentari et incumbentia eis onera supportare nequeant; et quod etiam oportet quandoque moniales ipsius monasterii Beatae Mariae in aliquo Fortalitio seu loco munito non existentis, ipsum monasterium derelinquere et ad aliena monasteria, etiam alterius Ordinis fugere; quodque si ipsum monasterium Beatae Mariae dicto monasterio Sancti Magni uniretur, utrique ipsorum commoditas et utilitas procuraretur ». Unde utraque abbatissa una cum respectivo conventu supplicavit, ut monasterium ipsum Beatae Mariae, quod Episcopo Amelien. ordinario iure subesse dignoscitur, monasterio S. Magni, quod a monasterio S. Pauli extra muros Urbis dependet, incorporaretur, annecteretur, uniretur. Bonifac. IX. hisce supplicationibus inclinatus, monasterium S. Mariae incorporavit, annexit, univit, ac etiam appropriavit. Ut quaestio inter Episcopum Amerinum et Praelatum S. Pauli disputata plene intelligatur, sequens passus in Bulla bene ponderandus erit. Papa statuit: cedente vel decedente abbatissaa S. Mariae, quae nunc est, aut ipsum monasterium dimittente, liceat abbatissae et conventui monasterii S. Magni possessionem dicti monasterii Beatae Mariae cum personis, possessionibus, iuribus, fructibus et redditibus propria auctoritate apprehendere et perpetuo retinere, alicuius super hoc licentia minime requisita: et quod ex tunc dignitas abbatissalis et Conventus in eodem monasterio B. Mariae sint extincti. Deinde providit Papa sustentationi abbatissae et monialium monasterii S. Mariae et Ecclesiae servitio: tandem monasterium B. Mariae cum personis etc. ab omni iurisdictione et potestate et dominio Episcopi pro tempore existentis, cui subesse noscitur, auctoritate Apostolica penitus exemit et etiam liberavit, ac *iurisdictioni* et protectioni Abbatis monasterii S. Pauli, pro tempore existentis, cui ipsum monasterium Sancti Manni subesse dignoscitur, subiecit.

Nota: verba textus: « subiective et iure plenario » non inveniuntur in Bulla sed eruta sunt ex contextu.

rino, unitum fuit, instantibus monialibus, « subiective et iure plenario » cum conventu S. Magni, dependente a monasterio S. Pauli extra muros Urbis [36]. Abbates S. Pauli regimen in monasterium S. Magni exercuerunt mediante Vicario, peregerunt visitationes pastorales, exercuerunt iurisdictionem ordinariam, quin Episcopi Amerini reclamaverint. Utrum hi Episcopi ante Concilium Tridentinum in monasterium S. Magni suam auctoritatem interposuerint non constat. Episcopi in archiviis nihil ad rem pertinens invenire poterant. Concilium Tridentinum quandam difficultatem creavit. Nam Concilium demandavit Episcopis sollicitudinem de clausura observanda; ex altera parte monasterium S. Magni censebatur membrum Abbatiae Nullius S. Pauli de Urbe. Uterque Ordinarius videtur sese accomodasse ad certum modum vivendi, qui secum tulit iurisdictionem cumulativam. Sed a. 1858 lis inter utrumque Ordinarium moveri coepit. Episcopus enim in sua relatione ad limina conquestus est coram S. C. C. de duobus punctis: moniales S. Magni et abbas S. Pauli neque concedunt visitationem canonicam monialium neque revisionem relationum administrationis. Episcopus proposuit autem S. C. C. sequentes quaestiones: I. « an monasterium divi Magni respici debeat ab Episcopo in casu tamquam alienae iurisdictioni subiectum etiam clausurae respectu? et quatenus negative. II. An episcopus, ut ipsius visitationem perficiat tamquam delegatus apostolicus possit moniales auscultare, si ipsi necessarium videbitur, ipsisque sermocinare, aliaque agere, quae a Ss. canonibus et a Sacrae Episcoporum et Regularium Congregationis multiplicibus decretis permissum, aut melius sancitum est circa monialium visitationem regularibus subiectarum? ». S. C. C. sub 20 dec. 1858 respondit: « Nonnihil decessori tuo sacer ordo praescripsit circa monasterium divo Magno dicatum. Hac super re consulere expediet Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium, quae si opportunum in Domino aestimaverit, hanc quaestionem vocatis rite partibus expendat, ac perpetua definitione componat ». Episcopus Amerinus sub 16 jun. 1860 recursum instituit ad S. C. Ep. et Reg. notando se non invenire litteras a S. C. C. ad praedecessorem missas; sed secunda vice instituendo visitationem canonicam apud moniales eo modo, quo desiderant monachi S. Pauli, se numquam posse penetrare in substantiam rei; unde eum non posse reprimere abusus, si sunt; econtra illos abusus magis magisque corroborari contra mentem manifestam s. canonum. Abbas S. Pauli a S. C. invitatus, ut respondeat, haec observanda censuit: tempus praesens – occupationis violentae patrimonii S. Petri – – non esse aptum ad tractandam quaestionem de iurisdictione mixta; nam eamdem in decursu plurium saeculorum pacis et quietis non

fuisse solutam. Litteris et propositionibus hic inde datis et acceptis Episcopus consensit in transactionem pacificam instituendam. Abbas vero S. Pauli in epistola diei 1 mart. 1868 suam mentem manifestavit in hoc sensu: circumstantiae et condiciones temporum — pugnarum circa ultimam partem patrimonii S. Petri — nobis imponunt persuasionem: relinquamus solutionem huius quaestionis successoribus nostris et retineamus statum quo. Episcopus censuit acquiescendum esse huic propositioni, uno puncto excepto, sc. de ratione reddenda administrationis bonorum. Abbas S. Pauli suas animadversiones in mentem Episcopi Amerini proposuit et S. C. sub data 9 mart. 1868 respondit: « Pro nunc reponatur ». Non obstante hoc responso novae propositiones novaeque replicationes in aciem adductae fuerunt. Die 2 apr. 1872 transactio inter duos Praelatos instituta est sub hoc tenore: 1) abbas S. Pauli relinquit successoribus suis intactam quaestionem, utrum monasterium S. Magni pertineat ad territorium *Nullius* S. Pauli 2) episcopus Amerinus intactam relinquit suis successoribus quaestionem, utrum eisdem competat ius postulandi reddendam rationem de administratione bonorum temporalium; de facto numquam episcopis haec ratio reddita fuit. 3) Lite nunc quiescente, utraque pars tenebit mutuum respectum ad disciplinam hucusque observatam. Post hanc transactionem S. C. habuit litem uti finitam decrevitque de elencho actorum: « Ponatur in archivio », die 10 apr. 1872. Sed quaestiones, quae sunt iuris substantialis, non possunt solvi per normas semiperfectas. Unde non est mirandum, quod Episcopus Amerinus die 18 sept. 1878 de novo recursum ad Curiam Romanam instituerit lamentando de abbate ratione defectus libertatis in visitatione canonica monasterii, in colloquiis cum monialibus, in praedicatione verbi divini, aliisque elementis clausuram tangentibus. In epistola ad S. C. Episcopus suspiravit, quod reconciliatio utriusque partis sub infaustis sideribus est finita: nam ad epistulam abbatissae directam circa examen personale monialium in actu visitationis canonicae abbas S. Pauli sub 28 aug. 1872 praetendit de novo iura resultantia ex charactere abbatiae Nullius cum iurisdictione quasi-episcopali et expressit suam Episcopo adversam voluntatem circa examen personale monialium et circa praedicationem verbi divini. Deinde Antistes Amerinus concludit hisce verbis: concordiae amicabiles sunt nimis brevis durationis; unde coactus sum absolute ad instantiam, ut quaestio definitive solvatur ad tramitem iuris. Unde S. C. ex archivio extrahenda iussit acta in Causa. Die 29 apr. 1879 S. C. epistulas misit tum Abbati S. Pauli tum Ordinario Amerino addiditque suam mentem; mens autem haec fuit: ut tandem aliquando quaestio circa iurisdictionem in monasterio monialium S. Magni O.S.B. Ameriae

sito exercendam solvatur, Causa proponetur in Congregatione Plenaria. Insuper iussit utramque partem litigantem intra mensem « ad deducendum quatenus vellent ulteriores rationes ». Uterque Praelatus sua iura defendere conatus est, utique cum dispari successu. Antistes Amerinus duas rationes in favorem suorum iurium allegavit: 1) bona monasteriorum S. Iacobi, S. Magni, S. Cataldi neque libera sunt neque pertinent ad monachos S. Pauli. 2) Clausuram, quod attinet, parthenium constanter fuit consideratum sub eadem ratione, qua monasteria monialium Praelatis regularibus subiecta. Unde Praesul dioecesanus reservat omnia iura recognita per Bullas Pontificias. Ex altera parte Abbas S. Pauli asseruit suum characterem uti abbatem Nullius cum iurisdictione ordinaria et cum territorio separato et distincto, ad quod pertinet etiam conventus in casu. Abbas suam intentionem in iure probare studuit per Bullam Bened. XIII « Creditae Nobis », Bullam Bonifacii IX « Sedis Apostolicae » de 31 dec. 1392 [37]. Insuper monasterium S. Magni habet arma S. Pauli cum inscriptione: « monasterium monialium S. Manni Ordinis S. Benedicti sub custodia S. Pauli de Urbe ». Porro diplomata Innoc. III, Honor. III, Gregor. IX, allegant tamquam proprietatem monasterii S. Pauli « hospitale S. Iacobi de Redere, ecclesiam S. Magni in Ponte et ecclesiam S. Cataldi prope castrum Ferani cum eorum pertinentiis ». Praeter alia argumenta probationis Analecta allegant mandatum Pii VII de a. 1815 abbati S. Pauli datum: « riassumere la sua giurisdizione su detto monastero, ed eleggere un soggetto idoneo, i quale vi eserciti di confessore ». S.C.C. iam die 19 jan. 1874 declaraverat: « Abbatem S. Pauli nomine ac iurisdictione abbatis vere proprieque *nullius* esse praeditum; multa etiam ipsi monasterio eiusque abbati competunt privilegia, et praeeminentiae, quae non competunt aliis eiusdem congregationis monasteriis et abbatibus ».

In Congregatione plenaria S. C. Ep. et Reg. die 7 maii 1880 quinque Dubia circa iurisdictionem Episcopi Amerini et abbatis S. Pauli proposita fuerunt:

I. utrum Ordinarius Amerinus possit visitare monasterium S. Magni monialium O.S.B. in casu?

II. utrum confessarii ordinarii et extraordinarii debeant esse approbati ab Episcopo?

---

[37] Margarini l. c. Const. 282. Annus in Bullario assignatus dicendus est falsus; Bulla habet: « secundo Kal. Januarii, Pontificatus Nostri, Anno Duodecimo ». Data ergo debet esse de 31 dec. 1400.

III. utrum electio et confirmatio abbatissae instituenda sit cum interventu Episcopi?

IV. utrum Episcopo competat ius explorandi voluntatem novitiarum?

V. utrum monasterium S. Magni sit liberum a reddendis rationibus et ab omni examine episcopi circa administrationem temporalium?

Plenaria die, quo supra, respondit: Ad 1, 2, 3, 4, negative, **Ad 5. Affirmative.**

Quae rerum condicio durationem habuit usque ad 30 jun. 1942. Quo die S. C. Cons. in suo Decreto Abbatiae « Nullius Sancti Pauli de Urbe Amerinae » separavit atque dismembravit territorium Monasterii S. Magni ab Abbatia Nullius S. Pauli de Urbe illudque perpetuo attribuit et aggregavit dioecesi Amerinae. Ratio fuit: territorium monasterii Monialium O.S.B. a S. Magno undequaque separatum est a coetero Abbatiae Nullius territorio. Quoad regimen Monialium vere statutum fuit: moniales tam praesentes quam futurae iurisdictioni Abbatis S. Pauli de Urbe, tamquam Superioris regularis subiacere adhuc pergant, ad normam Codicis I. C. et Constitutionum Congregationis monasticae [38].

Terminamus tractatum cum Constitutionibus Congregationis Beuronensis quae normam dant pro monasterii monialium Congregationi Beuronensi incorporatis. Die 11 mai 1926 (n. 2551-26) S. C. de Rel. Decretum edidit pro Congregatione monastica Beuronensi: « *Sanctissimus* benigne annuit pro gratia *plenae incorporationis* monasteriorum monialium S. Gabrielis, Heristallensis, S. Erentrudis, ita ut Capitulum Generale Congregationis etiam de monialibus, quae sint opportuna decernere valeat ». Iuxta monitum eiusdem S. Congregationis de Rel. Archiabbas Beuronen. « Constitutiones a monialibus iamdiu observatas una cum emendationibus, quas tum rei natura, tum Codicis iuris canonici praescripta tum Indultum huius Sacrae Congregationis de die 11 maii 1926 n. 2551/26 requirebant, denuo exaravit, ac consentientibus monialibus praesentavit ». Sunt verba decreti S. C. de Rel. de 2 aug. 1927. Quo die Decretum approbationis Constitutionem pro Monialibus Congregationis Beuronensis editum est, postquam Romanus Pontifex die 1 aug. 1927 easdem approbavit. Quae constitutiones clarissimis verbis duplicem classem monialium distinguunt: una classis pertinet ad illa monasteria monialium, quae ad normam can. 615 Archiabbati Beuronensi subditae sunt; huiusmodi Moniales ad normam Codicis I. C.

---

[38] **A. A. S. vol. 34 (1942) p. 296.**

in pluribus casibus etiam Ordinario loci subditae sunt; alia classis pertinet ad illa monasteria, quae *pleno iure* Congregationi Beuronensi *incorporata sunt*. Constitutiones a S. Sede *post et propter incorporationem* approbatae de iure Ordinarii loci sequentia statuunt: « Monasteria, vi indulti S. C. de Religiosis de die 11 Maii 1926, pleno iure Congregationi Beuronensi incorporata subsunt, servato Ordinario loci iure nominandi confessarios tum ordinarios tum extraordinarios et in clausuram invigilandi, iurisdictioni ordinariae Archiabbatis Beuronensis et eiusdem Congregationis Capitulo Generali, quod etiam pro eis quae utilia necessariave ad servandam fovendamque monasticam disciplinam, decernere valet. Ipse Archiabbas delegat, tamquam Commissarium, Abbatem vicinioris monasterii vel alterius cum speciali facultate sui vices gerendi in illud monasterium monialium curae huius Abbatis commissum, quique simul in Capitulo Generali monasterium monialium repraesentat ». Quoad confessarios statuitur ad verba cap. 46 S. Regulae: « Abbati aut spiritualibus senioribus » sequens norma: « Hi seniores sunt sacerdotes, qui iurisdictione instructi et qua confessarii familiae monasticae instituti sunt. Praesentantur audita prius Abbatissa ab Archiabbate Beuronensi et recipiunt iurisdictionem ab Ordinario loci, sive sint ordinarii sive extraordinarii. Unus vel plures confessarii constituuntur, qui, quo uberiores fructus eorum operatio referat, Abbatissae et conventui accepti sint. Similiter unus vel plures confessarii extraordinarii designantur ». Insuper ad cap. 52 S. Regulae haec verba inveniuntur: « In monasteriis incorporatis, consecratio altarium, tum immobilium tum mobilium, benedictio locorum sacrorum, necnon nominatio cappellanorum pertinet, audita prius Abbatissa, ad Archiabbatem Beuronensem. In aliis autem ius est Ordinarii loci; capellani tamen, audita pariter prius Abbatissa, praesentantur ab Archiabbate Beuronensi ». Declaratio III ad cap. 58 S. Regulae sequentem legem continet: « In monasteriis incorporatis, ante admissionem ad novitiatum et ad utramque professionem fiat ab Archiabbate Beuronensi, sive per se sive per delegatum, examen canonicum ad normam can. 552. § 1. Ideo Abbatissa duobus saltem mensibus ante, eum certiorem faciat de proxima admissione ad novitiatum vel ad professionem. In aliis monasteriis examen fit ab Ordinario loci, sive per se sive per delegatum ». Caput 64 ordinat electionem Abbatis; declaratio prima de eligenda Abbatissa hoc modo iura Archiabbatis seu Congregationis Praesidis determinat: « In monasteriis incorporatis electioni Abbatissae praeest Archiabbas Beuronensis aut eius delegatus cum duobus sacerdotibus scrutatoribus, inter quos assumi nequeunt confessarii ordinarii, quin tamen ingrediantur clausuram. Ipse archiabbas ius

habet confirmandi electionem novae Abbatissae necnon nominandi eam, si electrices intra mensem ab obitu praecedentis non assecutae fuerint necessarium consensum. — In aliis monasteriis, electioni Abbatissae praeest Ordinarius loci pariter cum duobus sacerdotibus scrutatoribus simul cum Archiabbate Beuronensi, cui tamen competit confirmare electam Abbatissam, ratione subiectionis monasterii ». Circa visitationem monasterii declaratio III ad idem cap. 64 ita sese exprimit: Tertio quoque anno Archiabbas Beuronensis sive per se sive per delegatum visitet monasteria tum incorporata tum non incorporata, sed ei subiecta. In qua visitatione diligenter inquirat de statu monasterii tam in spiritualibus quam in temporalibus, i. e. de administratione bonorum et dotum. Quaecumque emendanda, sananda, reformanda existimat, ea discrete ad meliorem revocare conditionem studeat. Ut Abbatissam sapientibus monitis consiliisque iuvat, ita quam monialem vel difficultate aliqua afflictam vel minus Regulae observantem invenerit, eam sublevet, arguat, increpet, sic tamen, ut monalium studium, quo propriam complectuntur Abbatissam, non solum non minuat, sed augeat potius ac corroboret; quod si quam contumacem deprehenderit, eam coërceat ac puniat.

Ordinarius loci iure gaudet, visitandi eadem monasteria, circa ea quae ad clausurae legem spectant; imo etiam circa alia omnia, si Archiabbas negligens fuerit in visitandis monasteriis sibi subiectis ». Quae declaratio III quamdam mutationem subiit; ipsa mutatio die 12 mai 1936 a S. C. de Rel. approbata est; in hac declaratione expresse notatur: « Praesidis iurisdictioni subsunt moniales Congregationis nostrae modo, quo in Constitutionibus earum, a S. Sede die 2 m. Augusti 1927 approbatis accuratius indicatur. Quoad dimissionem monialium valet declaratio in cap. 28 S. Regulae: « In monasteriis pleno iure incorporatis si ob graves causas defectumve spiritus religiosi soror professa votorum temporariorum dimittenda sit, Abbatissa cum suo consilio fidem de causis scripto faciat, et relationem una cum responsionibus sororis, cui causae istae sunt communicandae, ad Archiabbatem Beuronensem mittat, cui competit dimissionem decernere. Dimissio tamen nullum effectum sortitur, si intra decem dies soror ad S. C. de Religiosis appellaverit, donec S. C. dimissionem confirmaverit. Servetur quoque praescriptum can. 551, § 1; 643 § 2. — Si vero agatur de professa votorum perpetuorum sive simplicium sive solemnium, serventur can. 651 et 650 § 3; Archiabbas Beuronensis cum suo voto omnia acta et documenta ad S. C. de Religiosis transmittat, ad quam pertinet sententia dimissionis.

In Monasteriis non incorporatis, decernunt dimissionem sororis a votis temporariis, servatis de iure servandis, Ordinarius loci et Archiabbas Beuronensis. -- Quod attinet dimissionem professae a votis perpetuis sive simplicibus sive solemnibus, acta et documenta ad S. C. de Religiosis transmittat Ordinarius loci cum suo et Archiabbatis Beuronensis voto » [39].

D. G. Oesterle V. B.

---

[39] Hofmeister l. c. p. 394 sg. commemorat modum specialem ex politicis considerationibus causatum, qui relationem monialium ad Praelatos regulares ordinant; quae relatio expressa est per verbum « pertinere » (appartenir, se rattacher). Iuxta Hofmeister haec ordinandae iurisdictionis norma originem sumpsit ex condicionibus politicis in Gallia saeculo elapso regnantibus. Cum enim Trappenses post Revolutionem Gallicam de novo sese unirent in Congregationem, etiam Moniales Trappenses huic unioni sese aggregare intenderunt. Data autem vi legis civilis impossibilitate eximendi Moniales a iurisdictione ordinaria Episcopi, Gregor. XVI die 3 oct. 1834 art. XI statuit: « Moniales Trappenses in Gallia ad hanc Congregationem *pertineant*, et earum Monasteria a iurisdictione Episcoporum non erunt exempta. Cura tamen uniuscuiusque monasterii monialium uni aut altero monacho proximioris monasterii committatur. Monachos autem, quos idoneos ad illud munus iudicaverint, Episcopi deligant atque approbent, et Confessarios extraordinarios, e clero etiam saeculari, deputare poterunt ». (Bouix de iure Regularium, tom. I p. 468). Hofmeister et Bouix scribunt: delegant; recte legendum: deligant, ut ex n. 12 Decreti citandi 25 febr. 1847 patet. Cum autem postea duae Trappensium Congregationes in Gallia erectae fuissent, dicta pro monialibus norma ad utramque Congregationem monachorum extensa est ex decreto S. C. Ep. et Reg. de 25 febr. 1847 (Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg. p. 556 n. 12: textus est idem ac ille Gregorii XVI, exceptis verbis: « Moniales Trappenses in Gallia *ad has Congregationes* pertinent ». Leo XIII tandem convocavit Capitulum generale trium Congregationum (Septem Fontium, Westmalae, Trappae), quod decrevit unionem trium Congregationum in unum Ordinem; quae unio agnita est per decretum S. C. Ep. et Reg. 8 dec. 1892, confirmatum a Leone XIII. 17 mart. 1893 per C. « Pastoralis muneris ». (Acta Leonis XIII, vol. 13 pag. 83-87; A. S. S. vol. 26 p. 168-171); n. XI statuitur: « de Monialibus nihil innovamus ». Hofmeister l. c. p. 395 erronee habet 1892. Norma vigens pro monialibus Trappensibus extensa fuit ad quaedam monialium monasteria O. S. B., v. gr. anno 1891 ad monasterium Dourgne (Congreg. Sublacensis) et a. 1930 ad monasteria Solesmes, Wisques, Kergonan, Oosterhout (Congreg. Solesmensis). In hisce monasteriis Praelatus regularis suam potestatem exercet uti delegatus habitualis aut uti Commissarius Episcopi.

ESTNE « AMPLEXUS RESERVATUS » INTRINSECE MALUS ?

Omnibus notum est amplexum reservatum (quo copula inter coniuges inchoatur cum intentione cohibendi seminationem et quidem sine periculo pollutionis) sat diffusum fuisse ultimis temporibus, praesertim in Gallia et in Belgio, etiam inter catholicos, eo vel magis quod a quibusdam theologis ut quid licitum ac opportunum remedium contra onanismum considerabatur [1]. Attamen die 30 junii 1952, S. Congregatio S. Officii « *Monitum* » edidit contra auctores qui amplexum reservatum « describunt, laudant et suadent », eos graviter admonens « ut ab huiusmodi agendi ratione desisterent ». Dabatur insuper sequens regula: « Sacerdotes in cura animarum et in conscientiis dirigendis, nunquam, sive sponte, sive interrogati, ita loqui praesumant, quasi ex parte legis christianae contra amplexum reservatum nihil esset obiciendum » [2].

Cum autem S. Officium nihil dixerat de quaestione an amplexus reservatus sit ex se malus necne, quaeritur inter moralistas an huiusmodi praxis sit mala intrinsece (ideoque nunquam licita) vel extrinsece tantum (ideoque interdum licita).

Videtur talem actum non esse per se malum, sed prohiberi tantum aliquando ob pericula. Etenim a pluribus theologis ponitur inter actus imperfectos coniugibus licitos: videtur insuper conservare ordinem ad generationem: applicatur tandem principium: quibus licet consummare actum, licet etiam illum inchoare tantum [3].

Alia ex parte videtur esse quid intrinsece malum, nam in tali actu ordo ad generationem ab initio positive excluditur a voluntate coniugum.

Quaestionem hanc non esse minoris momenti etiam pro praxi perspicuum est. Etenim, si amplexus reservatus, qui a pluribus ponitur licitus sub quibusdam conditionibus, revera sit intrinsece

---

[1] Cf. articulum nostrum « De amplexu reservato » in « *Angelicum* », 1951, p. 313-345, qui extat etiam ut « opusculum » separatum (36 pag.).

[2] Monitum S. Officii, die 30 junii 1952; A.A.S. 1952, p. 546. Cf. articulum nostrum: « Adnotationes ad Monitum S. O. de litteratura sexuali et de amplexu reservato », in « *Monitor Eccles.* ». 1952, p. 568-582; item P. Castellano, in « Ephem. Iuris Can. », 1952, n. 4.

[3] Ita v. g. *P. Hürth: Inquisitio critica in moralitatem « amplexus reservati »*, in « *Periodica* » 1952, p. 251-269; P. Carpentier, in *N. R. T.*, 1950, p. 546; 1952, p. 974-980; Mc. Carty, in « *Irish Eccl. Record* ». 1953; Vermeersch, « *Theol. Mor.* » IV, n. 73, N. B. 2; Cappello, in « *De Sacramentis: de Matrim.* », II, n. 796, 4. Cf. art. nostrum in « *Angelicum* », p. 325 (opusc., p. 15).

malus, nemo non videt pessimos effectus qui exinde derivari possunt quoad formationem conscientiae et vitam moralem fidelium: posito enim quod talis actus non sit de se malus, absque difficultate inveniuntur a coniugibus motiva quibus licite exerceatur, et sic huiusmodi praxis semper maiorem obtinebit diffusionem.

Intentio nostra est, quibusdam breviter praenotatis, ex ratione probare, iuxta principia sancti Thomae, hanc praxim esse intrinsece malam.

Praenotanda

I) *De essentiali subordinatione finis secundarii matrimonii ad finem eius primarium.* Contra quosdam auctores modernos, qui erronee docebant fines secundarios matrimonii esse per se a fine primario independentes, vel ei aequales, immo superiores, Summi Pontifices Pius XI et Pius XII ac S. Officium traditionalem Ecclesiae doctrinam de hac re in mentem revocarunt, asserentes fines secundarios matrimonii essentialiter esse subordinatos fini primario seu generationi prolis, ita ut illicitus sit usus matrimonii ob fines secundarios, fine primario positive excluso.

Ita Pius XI, in Encyclica *Casti Connubii*: « Habentur tam in ipso matrimonio quam in coniugalis iuris usu etiam secundarii fines, ut sunt mutuum adiutorium et concupiscentiae sedatio, quos intendere coniuges minime vetantur, dummodo salva semper sit intrinseca illius actus natura ideoque eius ad primarium finem debita ordinatio » [4]. Item Pius XII in allocutione ad obstetrices (29 oct. 1951): Matrimonium revera, uti institutio naturalis, ex voluntate Creatoris, habent ut finem primarium ac intimum non mutuam perfectionem coniugum, sed procreationem ac educationem novae vitae. Alii fines, quamvis a natura intenti, fini primario non sunt aequales nec ei superiores, sed ei essentialiter subordinati... Nostris diebus periculum adest hoc fundamentale principium in oblivionem ponendi. Hodie enim plures (etiam quidam catholici) verbis et scriptis sustinent autonomiam necessariam, finem proprium ac valorem proprium sexualitatis ac eius exercitii, independenter a fine procreationis novae vitae [5].

Item S. Officium ad dubium: « An admitti possit quorumdam recentiorum sententia qui vel negant finem primarium matrimonii esse prolis generationem et educationem, vel docent fines secundarios fini primario non esse essentialiter subordinatos, sed esse aeque

---

[4] Denziger, n. 2241.

[5] A.A.S. 1951, p. 848 et seqq. Cf. notam 64.

principales et independentes », die 1 aprilis 1944, respondit « Negative » [6].

S. Thomas iam notaverat: « In prole non solum intelligitur procreatio prolis, sed etiam educatio ipsius, ad quam sicut ad finem ordinatur tota communicatio operum quae est inter virum et uxorem, inquantum sunt matrimonio coniuncti: quia pater naturaliter thesaurizat filiis, ut patet II Cor, 12. Et sic in prole, quasi in principali fine, alius quasi secundarius includitur » [7].

II *Amplexus reservatus distinguitur et a tactu impudico et a copula per accidens interrupta.* 1) Alius est *amplexus reservatus*, et alius *tactus impudicus:* ita ex usu loquendi omnes distinguunt copulam inchoatam a quocumque tactu impudico. Unde si poenitens accusaret se tactum impudicum habuisse cum puella, nunquam hoc intelligeretur de copula inchoata [8].

2) Aliud est *copula coniugalis per accidens interrupta*, et aliud amplexus reservatus. In primo casu enim coniuges recte incipiunt copulam cum intentione eam consummandi (seminando), unde actus conservat per se ordinem ad generationem; sed postea ex motivo proportionato (v. g. ad scandalum vitandum), actum interrumpunt ante seminationem. Iuxta omnes, coniuges per se non peccant, quamvis forsan per accidens sequatur pollutio.

In amplexu reservato e contra incipiunt copulam cum intentione cohibendi seminationem et impediendi conceptionem, ideoque in *hoc* actu ordo ad generationem ab initio excluditur [9]. De hoc amplexu reservato quaeritur an sit intrinsece malus, necne

Conclusio. Amplexus reservatus est intrinsece malus.

Probatur 1). Non licet *intendere directe delectationem veneream sine ordine ad copulam.* Atqui, in amplexu reservato intenditur directe delectatio venerea, et quidem sine ordine ad copulam. Ergo amplexus reservatus est intrinsece malus.

Iuxta principium s. Thomae etenim, « inordinatum et vitiosum est si quis cibis et venereis utitur propter solam delectationem, et non propter necessitatem sustentandi corporis vel prolis generandae. Et hoc rationabiliter, nam delectationes quae sunt in praemissis

---

[6] A.A.S., 1944, p. 103.

[7] Supplem., 49, 2, ad 1.

[8] « Ex altera parte amplexus reservatus dici debet differre a simplici tactu venereo; nam concubitus, etsi imperfectus, secundum structuram suam et secundum obvium iudicium non subsumitur sub conceptu et voce meri tactus », P. Hürth, in art. cit., p. 255: item in N.R.T., 1947, p. 407. Cf. articulum nostrum, in « Angelicum », 1951, p. 322 (12).

[9] Cf. « Angelicum », 1951, p. 322 (12).

actionibus non sunt fines operationum, sed magis e converso. Natura enim ad hoc ordinavit delectationes in his actibus, ne animalia, propter laborem, ab istis actibus necessariis naturae desisterent; quod contingeret, nisi delectatione provocarentur. Est ergo ordo praeposterus et indecens si operationes propter solas delectationes exerceantur » [10]. Ideo ab Angelico Doctore semper affirmatur delectationem, secundum institutionem naturae et in esse moris, esse propter operationem, et non operationem esse propter delectationem [11].

Item, « illa actio dicitur esse contra legem naturae, quae non est conveniens fini debito. Finis autem quem natura ex concubitu intendit, est proles procreanda et educanda: et ut hoc bonum quaereretur, posuit delectationem in coitu. *Quicumque ergo concubitu utitur propter delectationem quae in ipso est, non referendo in finem a natura intentum, contra naturam facit* » [12]. Iamvero qui exercet amplexum reservatum, utitur venereis propter delectationem, non referendo in finem a natura intentum, immo finem illum positive excludendo, cum sit de essentia amplexus reservati cohibere seminationem ideoque impedire ordinem et aptitudinem ad generationem. Ergo talis actus est contra naturam et intrinsece malus.

Item, « natura delectationem apposuit operationibus necessariis ad vitam hominis. Et ideo naturalis ordo requirit ut homo in tan-

---

[10] Contra Gent., l. IV, c. 83.

[11] « Operatio est simpliciter melior quam delectatio; et ideo, ut medici dicunt, natura in opere generationis delectationem posuit, ne animalia sua salute contenta salutem speciei negligerent, quae per actum generationis fit; unde delectatio propter operationem est » (In *II Sent*, Dist. 38, q. 1, a. 2, ad 6). « Est autem hoc inordinatum ut usus cibi et venereorum propter solam delectationem quaeratur; unde et nunc apud homines vitiosum reputatur » (Comp. Theol., c. 156). Bene notandum quod delectatio non secundum se est appetenda (in ordine moris), quia ex se non dicit quid conforme vel difforme cum recta ratione; sed est appetenda propter operationes, quas consequitur, nam « delectatio quae consequitur bonas et appetendas operationes, bona est et appetenda; quae autem malas, mala et fugienda » (*Contra Gent.*, l. III, c. 26).

[12] *Supplem.*, 65, 3; cf. 49, 1, ad 1. Optime « *L'Ami du Clergé* » (12 nov. 1952, « Récentes décisions romaines relatives à la chasteté du mariage ». p. 689-700): « Le mariage a pour fin naturelle, première et prédominante, la procréation et l'éducation des enfants. Le plaisir légitime qui accompagne l'acte conjugal est un attrait surajouté qui incline la nature à assumer les charges, les responsabilités et les douleurs de la paternité et de la maternité. Ce plaisir n'est, par conséquent, qu'une fin secondaire et subordonnée, et non pas une fin en soi, qu'on pourrait rechercher en excluant intentionellement la fin primaire. Dès lors, s'ingénier à se procurer, *voluntarie et ex industria*, le summum de ce plaisir qui soit compatible avec la suppression de toute conception (ut in amplexu reservato), c'est diviser ce que la nature, c'est à dire le Créateur, a uni, c'est cueillir la volupté qui devait faciliter l'accomplissement du devoir, en excluant délibérément la fin principale à laquelle la jouissance était ordonnée » (p. 694).

tum huiusmodi delectationibus utatur, quantum necessarium est saluti humanae, vel quantum ad conservationem individui (in cibo), vel quantum ad conservationem speciei (in venereis) » [13]. Sed in casu, homo utitur delectatione venerea in actu qui ad conservationem speciei non ordinatur. Ergo illicite agit.

Item, si actus coniugalis (obiective bonus), ob solam delectationem positus, iam est illicitus [14], a fortiori amplexus reservatus qui obiective, in se, est quid inordinatum.

Probatur 2). Actus venereus est licitus, « *si fiat debito modo et ordine, secundum quod est conveniens ad finem generationis humanae* » [15], i. e. si ordinatur ad generationem et educationem prolis. Secus (si ad talem finem non ordinatur), actus est intrinsece malus. Amplexus autem reservatus est actus venereus qui non est ordinatus ad generationem prolis, cum talis actio, qua seminatio voluntarie prohibetur, excludat omnem ordinem et aptitudinem ad generationem. Ergo est intrinsece malus.

Notandum est quod, quamvis omnis actus ad sum finem *ordinari* debeat, hoc praesertim valet de operationibus quae ad bonum commune ordinantur, ut est actus coniugalis. Unde s. Thomas, ubi de luxuria loquitur, frequenter declarat quanti momenti sit, ut in actibus venereis ordo ad debitum finem semper servetur. « Peccatum in actibus humanis est, quod est contra ordinem rationis. Habet autem hoc rationis ordo, ut quaelibet convenienter ordinet in suum finem. Ad conservationem autem totius generis humani ordinatur usus venereorum. Ideo potest esse absque omni peccato, si fiat debito modo et ordine, secundum quod est conveniens ad finem generationis humanae » [16]. Affirmat pariter quod « quanto aliquid est magis necessarium, tanto magis oportet ut circa illud rationis ordo servetur. Unde per consequens, magis est vitiosum si ordo rationis praetermittatur. Usus autem venereorum est valde necessarius ad bonum commune, quod est conservatio generis humani. Et ideo *circa hoc maxime attendi debet rationis ordo*. Et per consequens, si quid circa hoc fiat praeter id quod ordo rationis habet, vitiosum erit » [17]. Iamvero, in amplexu reservato, ordo ad generationem

---

[13] *Summa*, II-II, 142, 1.

[14] « Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali, » propositio damnata, *Denz.*, n. 1159. Antonelli : « Si usus matrimonii habitus ob solam voluptatem non caret peccato, etsi tantum veniali, nonne et hi actus copulae (amplexus reservatus) censendi sunt peccatum, quod homo omnino effugere debet ? » (*Medicina Pastor.*, III, n. 853).

[15] *Summa*, II-II, 153, 2.

[16] *Summa*, II-II, 153, 2.

[17] *Summa*, II-II, 153, 3.

excluditur, ut ex natura ipsius actus patet, ideoque huiusmodi praxis est intrinsece mala.

Item, « *vitium contra naturam est in omni actu venereo, ex quo generatio sequi non potest* » [18]. Sed amplexus reservatus est actus venereus ex quo generatio sequi non potest; patet enim generationem sequi non posse ex actu venereo sine seminatione peracto; unde valde derideretur ac uti insipiens haberetur, qui serio assereret ex amplexu reservato per se generationem sequi posse. Sequi posset quidem aliquando per accidens, si vir, praeter intentionem, seminationem cohibere non valens, in vaginam uxoris seminaret; sed hic non esset amplexus reservatus.

Item, « quandoque (luxuria) importat solam inordinationem interioris *concupiscentiae*, sicut patet in eo qui ex immoderata concupiscentia accedit ad uxorem suam; tunc enim ipse actus non est inordinatus secundum se, sed solum secundum quod procedit ex inordinata concupiscentia. Quandoque vero, cum inordinatione concupiscentiae, est etiam inordinatio *ipsius actus exterioris secundum seipsum, sicut contigit in omni usu genitalium membrorum praeter matrimonialem actum* » [19], i. e. praeter actum de se aptum generationi prolis, seu ex quo per se sequi potest generatio. Amplexus autem reservatus est usus genitalium praeter actum matrimonialem, cum generatio ex eo per se sequi non possit. Ideo ibi adest peccatum.

Probatur 3). Usus matrimonii non est licitus, nisi *cohonestetur vel bono prolis, vel bono fidei* [20]. Atqui amplexus reservatus non cohonestatur bono prolis, ut patet, cum in tali actu seminatio et ordo ad generationem excludatur; nec bono fidei, cum non agatur de debito coniugali reddendo, qui est actus per se aptus ad generationem. Ergo amplexus reservatus est intrinsece malus.

Etenim, « sicut bona matrimonii, secundum quod sunt in habitu, faciunt matrimonium honestum et sanctum; ita etiam, secundum quod sunt in actuali intentione, faciunt actum matrimonii honestum, quantum ad illa duo bona matrimonii (bonum prolis et

---

[18] *Summa*, 154, 1; cf. *in Rom.*, I, l. 8. Iuxta P. Carpentier (*N. R. T.*, 1952, p. 978), ex hoc textu s. Thomae sequeretur continentiam periodicam esse illicitam, cum tunc copula sit ex qua generatio sequi non possit. Sed confundi non debet id quod est *per se* cum eo quod est *per accidens*. Etenim amplexus reservatus est copula ex qua per se (vi copulae) generatio sequi non potest, dum ex copula tempore ageneseos posita id per accidens evenit (non ratione copulae, sed ratione temporis). Unde Caietanus: « falsissima est ergo et destructiva moralis doctrinae (sententia quae) procedit ex confusione eius quod est per se cum eo quod est per accidens: quod saepe in moralibus et in coeteris facit errare; contingit enim etiam sapientes in his quae sunt per accidens falli ». (in II-II, 153, 3, II).

[19] *De Malo*, 15, 1.

[20] Cf. *Supplem.*, 41, 3; 49. 4 et 5; *de Malo*, 15, 1.

bonum fidei) quae ipsius actum respiciunt. Unde quando coniuges conveniunt causa prolis procreandae, vel ut sibi invicem debitum reddant, quod ad fidem pertinet, totaliter excusantur a peccato... Et ideo duobus solis modis coniuges absque omni peccato conveniunt: scil. causa procreandae prolis, et debiti reddendi. Alias autem semper est ibi peccatum, ad minus veniale » [21]. Cum ergo amplexus reservatus non cohonestetur nec bono prolis nec bono fidei, sequitur ipsum esse intrinsece malum.

Probatur 4). Non licet uti matrimonio *ob fines secundarios* (ad amorem mutuum fovendum vel in remedium concupiscentiae), nisi *salvo fine primario.* (Ita Pius XI, Pius XII, et S. Officium, contra plures modernos, ut supra vidimus). Atqui amplexus reservatus exercetur ob fines secundarios, excluso fine primario [22]. Ergo est illicitus.

Addi potest, quod nec ad fines secundarios quidem revera ordinari potest. Etenim fines secundarii matrimonii sunt mutuus amor inter coniuges fovendus, et remedium concupiscentiae. Iamvero amplexus reservatus non est de se, ex sua natura, ordinatus ad affectum benevolentiae seu *amicitiae* significandum vel fovendum. (Ideo numquam fit inter amicos; ad hoc sunt alia signa, ut amplexus et oscula in facie) [23]; ordinatur potius ad amorem *concupiscentiae* fovendum et augendum [24]. Nec ordinatur proprie in re-

---

[21] *Supplem.*, 49, 5.

[22] Cf. *L'Ami du Clergé*. 1952, p. 694-695.

[23] « Isti tactus (venerei) nec ex se nec ex hominum usu sunt instituti ad mutuum amorem inter coniuges fovendum, sicut communiter instituta sunt amplexus et oscula in facie » (Salmanticenses, *Curs. Theol. Mor.*, t. VI, de 6° praecepto, n. 54). Fovendus est quidem inter coniuges *amor amicitiae,* non vero *amor concupiscentiae*, seu ipsa concupiscentia, quae de se est inordinata. S. Alphonsus et ipse citat plures auctores, iuxta quos actus turpes « non sunt per se instituti ad fovendum affectum coniugalem » (*Theol. Mor.*, l. VI, n. 934). « Huiusmodi actus (turpes) nunquam necessarii erunt ad fovendum praecise amorem; cur enim non sufficiunt oscula, amplexus, tenera verba? Quod si aliquid amplius opus sit, habeatur copula; quam si locus (vel alia circumstantia) prohibet, prohibebit quoque hos actus impudicos » (Ballerini, *Opus Theol. Mor.*, de Matrim., c. 2; dub. 2, n. 375).

[24] « Opera concupiscentiae congrua secundum se nata sunt concupiscentiam *augere* » (*Supplem.*, 42, 3, ad 4). « Omnes delectationes corporales faciunt sui ipsarum sitim, quousque consummentur » (I-II, 33, 2). « Appetitus delectationis est insatiabilis; quinimmo quanto plus gustatur, plus concupiscitur, eo quod est secundum se appetibilis... Et si homo concupiscentiae satisfaciat, magis concupiscentia *crescit* in homine et dominatur » (s. Thomas, *in III Ethic.*, l. 22). « Huiusmodi actus (turpes) proprie nati sunt ad excitandam concupiscentiam, et communiter hoc faciunt » (Vlaming-Bender, *Praelect. Iuris Matr.*, 1950, p. 194). « In pratica, questi atti poco servono come rimedio in parte compensatore del mancante sfogo completo e diventano moralmente pericolosi. Essi provocano, infatti, l'eroti-

medium concupiscentiae, nam hoc remedium, ut infra melius explicabitur, habetur quando coniuges sibi mutuo reddunt debitum coniugale, inquantum concupiscentia a ratione ordinatur (dum continetur intra limites matrimonii et coarctatur ad determinatam personam), et usus venereorum cohonestatur bono fidei vel bono prolis, quod in amplexu reservato non verificatur [25].

Confirmantur aliis rationibus. 1) Vi contractus matrimonii, vir non habet ius in corpus uxoris, nisi in ordine *ad actus per se aptos ad generationem prolis*, i. e. ad copulam per se aptam generationi [26]; nam ut dicit s. Thomas, vir non habet ius ad corpus uxoris « nisi quantum ad generativam virtutem » [27], et ideo « peccatum est in omni usu genitalium membrorum praeter actum matrimonialem » [28]. Atqui evidens est amplexum reservatum non esse actum de se aptum generationi, ut iam vidimus. Ergo ad eum coniuges nullum ius habent, unde est illis illicitus.

Insuper, amplexus reservatus et copula coniugalis post hebdomadam posita sunt duo actus plane distincti et ab invicem omnino independentes; et non quaeritur an ex amplexu reservato generatio sequi possit mediante *alio* actu (per se apto et post hebdomadas vel menses ponendo), sed an ex *ipso* actu (i. e. ex ipso amplexu reservato) sequi possit, et responsio negativa est evidens.

2) Sicut vir *onanista*, inchoans copulam cum intentione seminandi extra vas, peccat, quia non servat ordinem ad generationem, ita qui exercet amplexum reservatum, copulam interrumpendo ante seminationem, peccat, quia nec ipse servat ordinem huius actus ad generationem. Per talem enim actum venereum, in utroque casu, sive seminatio fiat extra vas, sive cohibeatur, finis generationis impeditur.

3) Sicut *usus cibi et potus* ordinatur ad conservationem individui, ita *usus venereorum* ad conservationem speciei. Sed qui in usu cibi delectationem tantum intenderet, et curaret quantum potest impedire finem eius, scil. conservationem individui (conservationem sanitatis), absque dubio illicite ageret ac summa insipientia argue-

---

smo sessuale, ravvivano ed alimentano l' istinto, rendono con ciò stesso più penoso e difficile il contenersi » (Boschi, *Problemi morali del matrimonio*, 1953, p. 356-357).

[25] Cf. *Supplem.*, 42, 3, ad 4.

[26] C. I. C., c. 1081. « In reliquis, quae nullam habent relationem ad actus per se aptos ad prolis generationem, coniugi nullum est ius (proinde nec relativa obligatio) in corpus alterius: hinc uxor non est serva viri aut intrumentum voluptatum eius, prouti penes paganos invaluit opinio » (Gasparri, *de Matrim.*, I, n. 7).

[27] Cf. *Supplem.*, 64, 1.

[28] *De Malo*, 15, 1.

retur. Pariter qui in usu venereorum (in amplexu reservato) delectationem tantum intendit, et curat quantum potest impedire finem copulae (seminationem et generationem prolis), absque dubio illicite agit [29].

4) Per amplexum reservatum (copulam sine seminatione) *matrimonium non est consummatum*, quamvis hymen vaginae mulieris perforatum fuerit. Unde ex perforatione hymenis non amplius probari posset matrimonium fuisse consummatum. Insuper si coniuges amplexum reservatum per 20-30 annos exercerent, matrimonium eorum non est consummatum, ideoque per se dissolvi posset, quod bonis moribus repugnare videtur.

Confirmatur respondendo ad obiectiones. *Obiectio prima.* Inter coniuges liciti sunt *actus imperfecti.* Sed amplexus reservatus est actus imperfectus. Ergo est licitus [30].

Respondeo. Ad maiorem. Inter coniuges actus imperfecti sunt liciti, distinguo: si sunt honesti, concedo; si sunt inhonesti, nego, et explico. Inter coniuges possunt esse actus imperfecti honesti dupliciter: a) amplexus et oscula in facie, et alia signa benevolentiae huiusmodi quae inter amicos fieri solent; b) alii actus, ut tactus genitalium, penetratio vaginae, si sunt ordinati ad copulam, ratione cuius sunt honesti et liciti. Sicut enim actus coniugalis ipse, quamvis turpitudinem quamdam habens, cohonestatur (fit honestus et licitus) in matrimonio ratione boni prolis vel boni fidei, ita et actus preparatorii ad copulam, licet turpitudinem quamdam habeant, cohonestantur ratione ipsius copulae ad quam ordinantur. Iidem actus, extra hunc casum (si ad copulam non ordinantur), sunt inhonesti et illiciti.

Ad minorem. Amplexus reservatus est actus imperfectus: a) posset distingui: est actus inhonestus (quia non ordinatur ad

---

[29] « Les aliments et la boisson sont nécessaires pour conserver la vie de l'individu ; l'union matrimoniale pour conserver la vie de l'espèce. Ne jugerait-on pas sévèrement l'homme qui prétendrait se procurer tous les plaisirs de la bouche, tout en prenant bien ses précautions pour que les mets et les boissons, qu'il savoure longuement et dont il tire le maximum de satisfaction, ne deviennent pas une *nourriture* capable d'alimenter sa vie ; qui regarderait comme un échec déplorable l'assimilation vitale destinée à maintenir son corps dans l'existence ? Ce répugnant désordre, que les païens antiques avaient poussé jusqu'à la mise en usage du *vomitorium,* ne serait qu'une réplique, sur un autre terrain, de l'abus qui consiste à vouloir, dans l'usage du mariage, ne garder que toute la volupté accompagnatrice, en prohibant soigneusement l'achèvement complet et l'efficacité essentielle de l'acte dont la volupté n'est que le condiment ». (*L'Ami du Clergé,* 952, p. 695).

[30] Ita P. Carpentier et alii communiter.

copulam) concedo; est actus honestus, nego. b) Potest etiam negari, quia vidimus quod tactus genitalium et inchoatio copulae sunt duae actiones plane distinctae, quod etiam ex usu communi loquendi manifestatur; unde si quis se accusaret in confessione se tactum impudicum habuisse cum puella, nunquam hoc intelligeretur de inchoata copula.

Obiectio secunda. Qui potest actum *complere*, potest illum *inchoare.*

Respondetur. Distinguo: si inchoat actum cum intentione illum perficiendi (si intendit inchoationem ut *medium ad finem*), concedo; si inchoat actum cum intentione illum non perficiendi seu illum interrumpendi, (si intendit ut *finem* ipsam interruptionem actionis) subdistinguo: a) si actus inchoatus et interruptus est de se quid bonum vel indifferens, et ideo intendi potest ut finis, concedo; sic potest quis lectionem libri inchoare cum intentione illam non perficiendi; b) si actus inchoatus et interruptus habet in se aliquid mali, et non potest intendi nisi ut medium ad finem, i. e. non est bonus nisi ratione finis seu actus completi ad quem naturaliter ordinatur, nego. Sic medicus habet ius faciendi incisionem in corpore (medium), in ordine ad tumorem extrahendum (finem); sed non potest facere incisionem (ut finem), excludendo extractionem tumoris ad quam ipsa naturaliter ordinatur. Incisio non est licita nisi ut medium (in ordine ad finem, extractionem tumoris), sed nunquam licita est ut finis. Haberentur tunc duae actiones prorsus diversae, quae aliis nominibus vocarentur: prima (incisio ordinata ad extractionem tumoris) esset vera operatio chirurgica, licita et utilis ad sanitatem corporis; altera (incisio tantum) esset actio illicita, nempe gravis iniuria contra proximum, vulneratio vel occisio [31].

Pariter in eo qui natat, actio se proiciendi in flumen est bona et licita, cum habeat intentionem redeundi ad ripam (est vera natatio); dum omnino alia actio esset qua quis se proiceret in flumen cum intentione ad ripam non redeundi (esset saltem indirecta sui occisio), quamvis in utroque casu inchoatio actionis sit eadem. Actiones autem non *specificantur* a termino a quo (ab inchoatione), sed *a termino ad quem, seu a fine proximo ad quem tendunt.* Ita amplexus reservatus specificatur a suo fine proximo, qui est copula

---

[31] Cf. articulum nostrumin, *Angelicum*, 1951, p. 333-335 (opusc., p. 23-25). « Contingit in his quae ad aliud ordinantur, quod aliquid est bonum ex hoc solum quod ad aliud ordinatur » (*Summa*, I-II, 20, 3). « Quaedam sunt quae non desiderantur nisi in relatione ad finem, ut sectio et ustio » (*in II Sent.*, Dist. 38, q. 1, a. 4).

interrupta ante seminationem, ideoque de se inepta generationi et intrinsece mala [32].

Obiectio tertia. Usus venereorum est licitus, si in eo servatur ordo ad generationem. Atqui, in amplexu reservato *servatur ordo ad generationem*, quatenus ad eam ordinatur *remote et mediate*. Ergo est de se licitus. Etenim ordo ad generationem alius est in actu completo, alius in actu incompleto. In actu completo, est ordo ad generationem *perfecte* (constitutive, executive, effective), dum in actu incompleto adest talis ordo *imperfecte*, i. e. *remote et mediate* (inchoative et dispositive, « quatenus ex naturali sua indole (amplexus reservatus) conservat, evolvit et auget habitualem, rectum et licitum inter coniuges affectum sexualem, qui natura sua impellit ad actum generativum, etsi hic et nunc nulla est actualis et explicita intentio eum ponendi, imo forte intentio contraria » [33]. Ita P. Hürth et P. Carpentier. Tenent enim « ad actus per se aptos ad prolis generationem non solum pertinere actum perfectum seu coitum naturalem, sed etiam naturales actus imperfectos naturali sua indole ed eum perducentes et praeparantes, sive immediate, sive *mediate et remote* » [34].

Respondetur. Ut actus venereus incompletus sit ordinatus ad generationem, non sufficit ut ad copulam de se aptam generationi ordinetur *remote et mediate* (mediante *alio* actu seu copula coniugali post dies, menses vel annos ponenda), sed necessario requiritur ut ordinetur *immediate et proxime* ad copulam hic et nunc habendam.

Prob. 1) Quilibet actus specificatur a suo *obiecto seu fine proximo* (ut motus a termino), et non a fine remoto. Ita s. Thomas et

---

[32] « Sacerdos celebrans missam licite inchoat consecrationem (per panis consecrationem), si illam intendit perficere (per vini consecrationem); illicite vero agit in casu contrario, i. e. si panem tantum vellet consecrare... Si universaliter verum esset principium quod « qui ius habet perficiendi actionem, habet ius illam solum inchoandi », sicut liceret viro copulam inchoare cum intentione non seminandi, pariter liceret medico incisionem facere cum intentione tumorem non extrahendi, liceret et sacerdoti panem consecrare cum intentione sacrificium non complendi, etc. » (*Angelicum*, l. c. p. 335-336; opusc. p. 25-26). « Quidam afferunt rationem: qui habet ius ad totum, habet etiam ius ad partem eius... Ratio non valet, si pars est talis ut tantum ut pars habeat bonitatem, seu tantum si ordinetur ad finem totius. Quare qui habet ius construendi domos integras (ad hoc data est ei licentia et materia), propter hoc non adhuc habet ius construendi solas partes domus, puta muros » (Vlaming-Bender, *Praelectiones Iuris Matrim.*, p. 194).

[33] P. Hürth, in *Periodica*, 1952, p. 264-265; P. Carpentier, in *N. R. T.* 1952, p. 977.

[34] P. Hürth, in *Periodica*, l. c., p. 265-266.

communiter [35]. Atqui, finis proximus amplexus reservati est interruptio copulae, excludens seminationem ideoque ordinem et aptitudinem ad generationem. Ergo, ex sua natura, talis actus non est ordinatus ad generationem, sed illam a se excludit.

Sicut enim actus coniugalis specificatur a suo obiecto proximo, a copula *cum* seminatione, quae ideo est de se apta generationi; ita amplexus reservatus specificatur a suo obiecto proximo, a copula *sine* seminatione, quae ideo est de se inepta generationi. In eo, exclusio seminationis et ordinis ad generationem est *finis operis* (a quo actus obiective specificatur) et etiam *finis operantis*, nam in *hoc* actu coniuges revera intendunt seminationem cohibere ideoque aptitudinem ad generationem impedire [36].

Prob. 2) Si inchoatio copulae in amplexu reservato ordinaretur *mediate* ad copulam de se aptam generationi, se haberet ad eam ut *medium* ad finem, ita quod simul *unum actum* constitueret (sicut qui ordinat verba, tactus impudicos et inchoationem copulae ad fornicationem, unum peccatum committit) [37]. Atqui amplexus reservatus de facto non intenditur ut medium, sed ut *finis*, cum interruptio copulae sit obiectum et finis proximus huius actus (non intenditur propter aliud, ut medium, secus non interrumperetur; sed propter se, ut finis). Unde amplexus reservatus et copula coniugalis non se habent ut medium et finis, sed sunt duo actus specie distincti, completi et consummati, et ab invicem independentes. Ad quod melius intelligendum, haec sunt notanda:

---

[35] « Actus moralis non habet speciem a fine remoto, sed a fine *proximo*, qui est obiectum » (*De Malo*, 2, 6. ad 9). « Idem actus numero, secundum quod semel egreditur ab agente, non ordinatur nisi ad unum finem *proximum*, a quo habet speciem ; sed potest ordinari ad plures fines remotos, quorum unus est finis alterius » (I-II, 1, 3, ad 3). « Vitia habent speciem ex fine *proximo*, sed ex fine remoto habent genus et causam » (II-II, 11, 1, ad 2).

[36] « Obiectum intelligitur in quod actus propria natura tendit, id est materia — res aut persona — circa quam versatur actus. Ideo vocatur finis intrinsecus seu internus operi, sive finis operis. Qui quidem finis « non potest a voluntate agentis omnino excludi, si modo advertitur et scitur operis natura » [Lehmkuhl, I, 97] (Lumbreras, *Praelectiones scholasticae in II Partem D. Thomae*, II, *De actibus humanis*, p. 123, n. 1). Ergo non potest dici quod in amplexu reservato et in actu coniugali sit *idem* finis, ut tenet P. Hürth (p. 264), cum in utroque actu finis proximus (a quo actus specificatur) sit omnino diversus, immo oppositus (actus a quo potest, vel non potest, sequi generatio). Insuper, etsi non habeatur forsitan voluntas excludendi prolem in genere seu per totam vitam, habetur certe haec intentio in *tali* actu, i. e. in amplexu reservato.

[37] Cf. *Summa*, I-II, 8. 3 ; 12, 4. « Qui accedit ad feminam cum animo fornicandi, praemittit tactus, oscula et sermones impudicos ac demum fornicatur, unum peccatum committit » (Noldin, I. n. 308).

a) Potest quis intendere aliquam *actionem* vel ut *finem*, vel ut *medium* ad finem; sic potest quis intendere (ut finem) furari duos aureos, vel loqui obscoena cum meretrice, vel vulnerare inimicum. Potest etiam has actiones intendere ut media ad fines, inquantum eas ordinat ad furtum 10 aureorum, vel ad fornicationem, vel ad occisionem. Si intenduntur ut *fines*, sunt per se actus completi, perfecti, consummati. Si intenduntur ut *media*, sunt per se actus incompleti, imperfecti, non consummati, et constituunt cum fine unum actum (unum furtum, unam fornicationem, unam occisionem) [38].

b) Pariter *oscula et tactus* intendi possunt ut *finis* vel ut *media*. Si intenduntur ut finis proximus, intenduntur propter se (non ut medium ad aliud) et sunt actus completi et consummati. Si intenduntur ut medium ad finem (ut ordinati immediate ad copulam), sunt actus incompleti et cum ipsa copula constituunt unum actum (moraliter loquendo) [39].

c) *Inchoatio copulae*, de se, ex sua natura, est tantum *medium*, ordinatum ad eius consummationem, unde est essentialiter (ex sua natura) actus venereus incompletus, de se tendens ad seminationem per quam idem actus naturaliter consummatur. Coitus enim, licet sit unus actus, plura habet elementa inter se ordinata, ut sunt tactus genitalium, erectio membri, penetratio in vaginam, seminatio. Sed dum tactus genitalium per se etiam ad *alios* fines

---

[38] « Peccatum cordis et oris non distinguuntur a peccato operis, quando simul cum eo coniunguntur (ut medium ad finem); sed prout quodlibet horum *per se* invenitur. Sicut etiam pars motus non distinguitur a toto motu, quando motus est continuus; sed solum quando *motus sistit in medio* » (*Summa*, I-II, 72. 7, ad 3). « Quando aliquid dicitur secundum relationem ad alterum, potest dupliciter considerari: vel secundum quod est *res quaedam in se absolute* ... vel secundum quod *ad alterum* dicitur ... Sicut si aliquis considerat imaginem prout est imago alicuius rei ... (vel) inquantum est res quaedam ... Ita etiam dico de eo quod est ad finem: quia quaedam sunt quae quaeruntur propter finem, quae nihilominus *habent in se unde desiderentur*; et in talia potest voluntas ferri dupliciter: vel secundum quod ea propter finem quaerit, et sic idem est motus voluntatis qui est in finem et in illud quod est ad finem; vel secundum quod ipsa sunt quaedam res per se desiderabiles, et sic est alia voluntas de utroque. Sed quaedam sunt quae *non desiderantur nisi in relatione ad finem*, ut sectio et ustio, et in talibus nunquam differt motus voluntatis, secundum quod voluntas fertur in ista et in finem eorum: quia in eo voluntas non fertur, nisi prout considerantur sub relatione ad finem » (in *II Sent.*, Dist. 38, Q. 1, a. 4).

[39] « Contingit esse actus *plures*, secundum quod ad genus naturae referuntur, qui tamen sunt *unum* secundum quod in genere moris considerantur, ut patet in eo qui furatur: quia omnes actus eius qui ad finem furti ordinantur, peccatum sunt, cum mala intentione fiant, qui possunt valde multi esse; et tamen omnes computantur ut unum peccatum, quia non habent rationem peccati nisi secundum quod per unam voluntatem in unum perversum finem ordinantur » (In *II Sent.*, Dist. 42, q. 1, a. 1).

ordinari possint, (v. g. ad morbum sanandum, si fiunt a medico), inchoatio copulae ad *unicum* finem (et quidem immediate) ordinari potest, scil. ed eius consummationem seu seminationem, qua fit vera copula de se apta generationi. Sicut enim copula coniugalis, habens turpitudinem quamdam (prout inferiores vires et membra corporis rationi non obediunt), non fit licita nisi ob bonum prolis vel fidei, ita copula inchoata, habens turpitudinem, non fit licita nisi ratione copulae perfectae ad quam ordinatur, et quae cohonestatur bono prolis vel fidei [40].

Et in hoc valde differunt oscula in facie et inchoatio copulae. Etenim amplexus et oscula in facie non sunt per se actus venerei, et ex se et ex usu hominum sunt signa amoris, unde *intendi possunt ut finis* (sine ordine immediato ad copulam). Sic ordinantur immediate ad affectum fovendum, et remote ac mediate ordinari possunt ad bonum prolis. Inchoatio copulae seu penetratio vaginae e contra est de se actus venereus, qui *nec ex se nec ex usu hominum est signum amoris seu amicitiae* [41], sed est medium tantum proxime ducens ad copulam perfectam cum seminatione, *unde nullo modo intendi potest ut finis.* Iamvero in amplexu reservato, inchoatio et interruptio copulae intenditur ut finis proximus (interruptio copulae ante seminationem, ut vidimus, est finis operis et operantis, et ordinatur immediate ad fovendum affectum vel potius concupiscentiam, et mediate, remote tantum, ordinaretur ad bonum prolis): ergo talis actus ex se (ex sua natura) est illicitus.

Insuper, si amplexus reservatus se haberet ad copulam subsequentem ut medium ad finem, cum quo unum actum constitueret, logice sequeretur quod si coniuges amplexum reservatum millies exercerent, eos ordinando ad unam copulam perfectam post decem annos ponendam, *unum actum* ponerent in 10 annis!

Pariter, si vir amplexum reservatum millies exerceret cum meretrice, eos ordinans ad unam fornicationem post 10 annos faciendam, per tot turpissimos actus unum tantum peccatum committeret, et in confessione sufficeret dicere: semel fornicatus sum! Error parvus in principio, fit magnus in fine!

De facto, amplexus hodie factus et copula coniugalis post dies, menses vel annos ponenda, non constituunt unum actum (hodie inchoatum et post menses complendum), sed sunt *duo actus completi, perfecti et consummati* (quia intenduntur ut finis), sunt *specie distincti et sibi oppositi* (unus est vitiosus: actus venereus ex quo generatio sequi non potest; alter virtuosus: actus venereus ex quo generatio per se sequi potest): ideo sunt etiam *actus numero*

[40] Cf. *Supplem.*, 49, 4 et 5. Cf. etiam notam 31.
[41] Cf. notam 23.

distincti et ab invicem independentes, cum actus coniugalis sit omnino *alius* et *novus* actus, qui et *inchoatur* et perficitur omnino independenter ab amplexu reservato praecedenti. Qui (amplexus reservatus) etiam si non fuisset, actus coniugalis perfectissime inchoaretur et perficeretur [42]. Ergo amplexus reservatus est actus venereus qui ex natura sua (ex fine operis et operantis) non servat ordinem ad generationem, et per consequens est intrinsece malus.

Prob. 3) Omnes fere auctores in Medio Aevo et postea (exceptis modernis), quando quaerunt an actus venerei imperfecti coniugibus sint liciti necne, ita semper distinguunt: Si *ordinantur* ad copulam, sunt liciti; si *non ordinantur* ad copulam, sunt illiciti [43]. Iamvero haec distinctio (qua actus vel ordinantur vel non ordinatur ad copulam) intelligitur de ordine quo actus *immediate et proxime* ad copulam hic et nunc ponendam referuntur: secus esset distinctio inutilis et vana (si sufficeret, ut sint liciti, ut ordinentur ad copulam remote tantum et mediate: tunc enim semper essent liciti, cum coniuges semper possent hos actus ordinare ad copulam post menses vel annos ponendam!). Insuper auctores aliquando expresse dicunt quod huiusmodi actus sunt liciti, quando ordinantur *immediate et proxime ad copulam*, vel ad copulam *hic et nunc* ponendam, vel ad copulam *proxime* futuram [44].

Prob. 4) Iidem auctores (in M. A. et postea) qui tenent amplexum reservatum ut quid intrinsece malum, fere semper eandem rationem afferunt: *quia omnis actus venereus qui non ordinatur ad generationem est illicitus* [45]. Omnes ergo tenent amplexum re-

---

[42] « Actus externi multiplicantur, quoties in se completi et ab invicem independentes sunt, nisi tanquam partes vel media ad unum actum consummatum ordinantur. *Nota.* Actus externi qui sunt in se completi et invicem independentes, *nec per intentionem agentis in unitatem moralem colligi possunt:* hoc enim actuum natura impedit quominus moraliter uniantur » (Noldin, I, 312, et nota).

[43] « Per se tales actus iis (coniugibus) licent, quia cui licitus est finis, etiam licent media... Quod si vero separatim et sine ordine ad copulam fiant, sunt peccata venialia » (Busenbaum, in *Theol. Mor. S. Alphonsi*, VI, n. 932). « Isti tactus ... sunt liciti, si fiant in ordine et ex intentione copulae; sunt autem peccata, si in eis sistatur nec ordinentur ad copulam » (Billuart, *Tr. de Temper.* Dis. VI, a. 17).

[44] « Nos dicimus praedictos tactus... solum esse licitos quando sunt *in statu proximo ad copulam* »; (ideo non sunt liciti) « quando fiunt in partibus pudendis ob solam delectationem et sine ordine *ad sequentem copulam* » (Salmanticenses, *Curs. Theol. Mor.*, t. VI, de 6 praecepto, c. 3, p. 3, n. 53). « Actus turpes inter coniuges cum periculo pollutionis... sunt mortalia, nisi habeantur ut coniuges se excitent *ad copulam proxime secuturam* » (S. Alphonsus, *Theol. Mor.*, l. VI, n. 934).

[45] « Si cogitant de non consummando coitu... tunc est mortale, quia omnis actus venereus, qui non est coitus vel ad illum ordinatus actu vel habitu, inter coniuges

servatum nullo modo ordinari ad generationem, ideoque esse intrinsece malum. Ipse P. Carpentier admittit *antiquos* ita sentire, dum opinionem contrariam dicit esse *modernorum* [46]. Immo requirit, ut licita sit praxis amplexus reservati, ut coniuges saltem aliquando in vita recte utantur matrimonio, per actus de se aptos generationi [47]. Ergo iuxta ipsum, amplexus reservatus non est ex se aptus generationi!

Prob. 5) Pius XI, in « Casti Connubii », affirmat licitum esse usum matrimonii ob fines secundarios, « dummodo salva semper sit intrinseca illius actus natura, *ideoque eius* ad primarium finem debita *ordinatio* » [48]. Ergo, iuxta doctrinam Ecclesiae, tunc tantummodo servatur ordo ad generationem *quando salvatur natura actus coniugalis*. Sed in casu amplexus reservati non salvatur natura actus coniugalis, ut patet. Ergo iuxta doctrinam Ecclesiae, non servatur in eo ordo ad generationem, ideoque est illicitus.

Confirmatur tandem ex auctoritate. Quamvis elapsis saeculis pauci theologi de huiusmodi praxi tractaverint, plures ex eis (et videtur esse communis sententia) tenent illam legi naturae repugnare, v. g. Summa Sylvestrina, Ferrariensis, Caietanus, Summa Armilla, Conradi, Azor, Henriquez, Busenbaum, Antoine, Billuart, Cunihati, Patuzzi, Concina, S. Alphonsus [49]. Item, inter moder-

---

est mortale » (*Summa Armilla*, ad verb. « Debitum coniugale », n. 8). « Intantum sunt iusti huiusmodi actus inquantum ad coitum actu vel habitu ordinantur, et omnis talis actus venereus, non sic ordinatus, est illicitus et peccatum » (Conradi, *Responsa ad casus conscientiae*, n. 143); cf. hos et alios textus in artic. nostro in « *Angelicum* » p. 326-331 (opusc., p. 16-21) « Usus matrimonii est illicitus... si alter coniugum seminationem cohibeat; quod quidem *generatim dicunt esse mortale*, quia finis actus coniugalis, scil. generatio, impeditur » (Busenbaum, in *Theol. Mor.* s. Alphonsi, l. VI, n. 915).

[46] « Le motif des plus anciens, motif de droit, est l'illicéité générale, qu'ils admettent, de tout *actus venereus inter coniuges quo non praeparetur immediate actus coniugalis*. Or *ce principe est abandonné* pratiquement par tous les auteurs contemporaíns » (N. R. T., 1952, p. 977).

[47] Ut sit licitus amplexus reservatus, « il faut maintenir, si l'on use du mariage, des actes conjugaux de soi aptes à la génération » (ib., p. 980).

[48] *Denziger.* n. 2241. Putat P. Carpentier sufficere in coniugibus generalem intentionem generandi durante vita (« le devoir d'engendrer étant sauf *dans l'ensemble de la vie conjugale* » (p. 979), dum Ecclesia docet licitam esse copulam dummodo salva sit intrinseca natura cuiuslibet actus coniugalis (Cf. *Denz.* n. 2241).

[49] Cf. textus in articulo nostro in « *Angelicum* », p. 326 et seqq. (opusc., p. 16 et seqq.). « Malum hominis est si operatio naturalis, et usus proprius partis (ut est coniunctio corporum), taliter fiat quod non sit conveniens fini quem natura per talem usum et operationem intendit, immo illi contrarietur... (Qui non utitur matrimonio) non producit actum debito ordine privatum nec agit contra bonum naturae, cum talis propagatio sufficienter per alios expleatur; sed iste (ut in amplexu

niores, Antonelli, Marc, Merkelbach, Capellmann, Lavaud, Gagnon, et « L'Ami du Clergé » [50].

Eis adnumerari possunt Pius XI et Pius XII. Etenim in Encyclica « Casti Connubii », *Pius XI* sollemni modo promulgat « quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo, actus, de industria hominum, naturali sua vitae procurandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos, qui tale quid commiserint, gravis noxae labe commaculari » [51]: quae omnia, licet primario de onanismo valeant, etiam in amplexu reservato verificantur, cum hic ad vitium contra naturam reductive pertineat. Dicitur pariter: « Cum actus coniugalis suapte natura proli generandae sit destinatus, qui, in eo exercendo, naturali hac eum vi atque virtute de industria destituunt, contra naturam agunt et turpe quid atque intrinsece inhonestum operantur » [52], quod etiam de amplexu reservato valet. Asseritur etiam, ut iam vidimus, quod actus coniugalis licitus est ob fines secundarios « dummodo salva semper sit intrinseca illius actus natura ideoque eius ad primarium finem debita ordinatio » [53], quod in amplexu reservato non verificatur.

Pius XI pariter, ut iam supra dictum est, firmiter declaravit fines secundarios matrimonii essentialiter subordinatos esse fini primario, ita ut usus matrimoni numquam liceat, fine primario positive

---

reservato) bene agit contra bonum naturae et illi iniuriatur, quia actionem quam agit suo debito fine privat in praeiudicium prolis quae inde nasci posset.,. Ubi quis naturae operationem exercet, tenetur illam sic exercere ut naturae finis non impediatur, quantum est ex ipso modo agendi per se » (Ferrariensis, in *Contra Gent.*, l. III, c. 122, V). « Vir concumbens cum spe et conatu ad seminandum... non potuit seminare. Et revera non peccavit, quoniam semper actum naturalem *consummare intendebat* » (Caiet., in II-II, 154, 1, XII); ergo si quis copulam inchoat, non intendens eam consummare, (ut in amplexu reservato), peccat,

[50] Cf. textus horum auctorum in articulo nostro, in « *Angelicum* » p. 329-331 (opusc., p. 19-21). P. Lavaud, in suo commento ad illum, in *Revue thomiste*, 1952, p. 470-472, haec habet: « (L'auteur) montre.., que la pratique tant vantée a été depuis longtemps appréciée du point de vue moral, jugée et condamnée par de nombreux théologiens de différents siècles et de diverses écoles... ; leur unanimité dans la réprobation de l'étreinte réservée, telle qu'aujourd'hui on la préconise ou plutôt telle qu'hier on la préconisait, n'est pas contestable. Elle est même si manifeste, qu'on peut se demander comment il se fait qu'on ne s'en soit pas plus communément souvenu... Cet article et cette position sévère nous semblent plus en harmonie avec les décisions du Saint Office et les principes rappelés depuis lors par le Souverain Pontife, notamment dans le discours d'importance capitale (aux sages-femmes), qui *atteignait*, s'il ne *visait* pas expressément, les dithyrambes en faveur de l'étreinte réservée ». Cf. etiam E. Gagnon, in « *Le Séminaire* » (Revue du Grand Séminaire de Montréal, Canada): Un grave avertissement du Saint-Office, 1952, p. 213-224); *L'Ami du Clergé*, 1952, p. 692-695. Cf. notas 12 et 29.

[51] *Denziger*, n. 2240.

[52] *Denziger*, n. 2239.

[53] *Denziger*, n. 2241.

excluso. Iamvero in amplexu reservato fit usus matrimonii ob fines secundarios, sed secluso fine primario. Ergo etiam secundum Pium XII, huiusmodi praxis est intrinsece mala.

Item affirmat Summus Pontifex quod, si coniuges continentia periodica uti non possunt, nullum aliud remedium remanet nisi continentia totalis (cum gratia Dei semper possibilis): quod verum non esset, si aliud remedium licite praebere posset amplexus reservatus [54].

Ex omnibus ergo supra dictis patet amplexum reservatum esse intrinsece malum, et pertinere reductive ad peccatum contra naturam, nam ut ait s. Thomas « vitium contra naturam est in omni actu venereo ex quo generatio sequi non potest » [55], quae definitio in amplexu reservato verificatur.

* * *

Quod si, probata intrinseca malitia amplexus reservati, quaeratur an sub gravi vel sub levi prohibeatur, nobis respondendum videtur *id sub gravi esse illicitum*, utpote ad peccatum contra naturam reductive pertinens. Etenim:

1) Omne peccatum luxuriae est de se grave peccatum, et praesertim peccatum contra naturam seu actus venereus ex quo generatio sequi non potest, quod inter omnes species luxuriae a s. Thoma dicitur esse gravissimum [56]. Atqui amplexus reservatus est peccatum

---

[54] Pius XII, loquendo de continentia periodica, asserit coniuges, quando utuntur matrimonio, etiam tempore ageneseos, licite agere, quia non impediunt consummationem actus coniugalis (« se i coniugi vogliono far uso del loro diritto matrimoniale anche nei giorni di sterilità naturale, non vi è nulla da opporre: con ciò infatti essi *non impediscono la consumazione dell'atto naturale* e le sue ulteriori naturali conseguenze »): ergo si consummationem actus coniugalis impediunt, sicut in amplexu reservato, illicite agunt. Insuper, iuxta Pium XII, Deus impossibilia non iubet. Sed si coniuges matrimonio recte uti non possunt (vel nolunt, etiam tempore ageneseos). Deus obligat eos ad continentiam (« Iddio *obbliga* i coniugi all'astinenza, se la loro unione non può essere compiuta secondo le norme della natura »). Iamvero in casu nostro coniuges nolunt uti matrimouio secundum normas naturae. Ergo unicum remedium eis est continentia, ideoque aliud licitum remedium non datur, ut amplexus reservatus. (*Discorso alle ostetriche*, 29 Ott. 1951, A. A. S., p. 847). Unde Gagnon: « Le Souverain Pontife avertit qu'un seul moyen, la continence absolue, s'offre à ceux qui n'ont pas la possibilité d'avoir des enfants et à qui la continence périodique ne suffit pas » (*Le Séminaire*, l. c., p. 221). « En rapprochant l'étreinte réservée de cet enseignement si clair et si énergique du Pontife Suprême (quoad hierarchiam finium matrimonii et hedonismum coniugalem antichristianum), on peut apercevoir ou gît le désaccord, affirmé dans le *Monitum*, entre cette pratique et la loi chrétienne. Le Pape donne un enseignement général, une *majeure* si l'on veut; la définition de l'étreinte réservée constitue la *mineure*: la conclusion jaillit d'elle-même. Telle est l'objection décisive » *L'Ami du Clergé*, 1952, p. 695); cf. notam 50.

[55] *Summa*. II-II, 154, 1.

[56] *Summa*. 154, 12 « Certe contra naturam est coitum sine seminatione relin-

luxuriae pertinens « reductive » (quia deest seminatio) ad vitium contra naturam, est enim verus « actus venereus ex quo generatio sequi non potest » [57], cum positive seminationem ideoque generationem excludat. Ergo.

2) Peccatum est mortale, si voluntas fertur in aliquid quod secundum se contrariatur caritati (sive caritati Dei, sive caritati proximi). Sed amplexus reservatus, sicut omne peccatum luxuriae, contrariatur caritati proximi, inquantum, ad instar peccati contra naturam, prolis generationem impedit [58]. Ergo.

3) Si levis tactus impudicus a iuvene factus unice ob delectationem iam est peccatum mortale, a fortiori coniunctio carnalis duorum corporum cum intentione cohibendi seminationem (et ideo excluso ordine ad generationem), quod est quid turpissimum, etiam inter coniuges, cum ad id nullum ius habeant [59].

4) Iuxta Sanchez et alios, si vir admovet digitum in vas uxoris (sine ordine ad copulam), est quid turpissimum et peccatum mortale. Ergo, a fortiori, si non digitum tantum, sed ipsum membrum immittit in vas uxoris, excluso ordine ad generationem [60].

---

quere, cum coitus coniugalis sit ordinatus a natura ad prolis generationem; unde tunc copula est illicita et inordinata... Tactus (valde turpes) inter coniuges sunt culpa mortalis, si exerceantur absque animo perveniendi ad copulam; quia hi actus venerei non sunt coniugibus liciti, nisi quatenus ad copulam coniugalem ordinantur. Ergo si ad eam non ordinantur, iam sunt illiciti, perinde ac inter solutos exercerentur » (Antoine, *Theol. Mor.*, Tr. de obligationibus; c. 3 de oblig. coniugum, q. 8).

[57] *Summa*, II-II, 154, I. Agitur ergo de re gravi, cum pervertitur et excluditur ordo essentialis actus venerei ad suum finem naturalem ac primarium, ad generationem prolis.

[58] *De Malo*, 15, 2, ad 4: « Omnes corruptiones luxuriae, quae sunt praeter legitimum matrimonii usum, sunt peccata in proximum, inquantum sunt contra bonum prolis generandae et educandae ».

[59] « Quand ils étudient la malice des actes incomplets solitaires, les théologiens sont d'accord pour déclarer que la malice grave en matière de chasteté vient du fait que l'on use d'une faculté sans la subordonner à sa fin, ou qu'on recherche égoïstiquement le plaisir attaché à la fonction sans accepter les charges. D'où ils déduisent que le moindre plaisir vénéréen recherché pour lui-même constitue une faute grave. D'où il faudrait déduire logiquement aussi que, dans le mariage, on n'évite pas l'imputabilité *grave* d'une action égoïste et détournée de de sa fin, du seul fait qu'on l'empêche artificiellement de se terminer de façon contraire à la nature. Surtout quand la technique prônée pour prévenir la complétion de l'acte sexuel est aussi présentée comme un moyen d'accroître le plaisir » (Gagnon, in *Le Séminaire*, p. 222, note 12).

[60] Cf. Antonelli, *Medicina Pastoralis*, III, n. 849-853. « Si est mortale (pudenda) tangere impudice manibus cum intentione non consummandi, quomodo non erit mortale cum hac intentione tangere cum membris genitalibus et ingredi claustra pudoris? » (*Summa Sylvestrina*, ad verbum « Debitum coniugale »). « Si in illis actibus tantummodo delectabilibus sistere intendant, vel si possint, consummare nolint, peccata mortalia sunt, etiam inter coniuges. Et ratio est manifesta: quia

5) Iuxta s. Thomam, « si sit actus luxuriae peccatum propter ipsam inordinationem actus (et non propter solam inordinationem concupiscentiae), quia scil. actus non est proportionatus generationi et educationi prolis, *tunc dico quod semper est peccatum mortale* » [61]. Sed amplexus reservatus est illicitus ratione ipsius actus exterioris (et non solum ratione concupiscentiae interioris). Ergo est peccatum mortale. Id quod tenent etiam plures auctores, uti Summa Sylvestrina, Summa Armilla, Conradi, Azor, Busenbaum, Antoine, Cuniliati, Patuzzi, Debreyne [62], et hodie Antonelli, Lavaud, Gagnon, L'Ami du Clergé [63].

* * *

Antequam studio nostro finem ponamus, obiectioni possibili respondendum est. Posset enim quis obicere: Si malitia intrinseca amplexus reservati ita evidens apparet, *quomodo explicatur illum a pluribus theologis hodiernis haberi ut licitum?* Ad hoc sic respondemus:

1) Ultimis temporibus, etiam apud catholicos auctores, *plures fuerunt errores circa matrimonium*, praecipue circa fines eius, inquantum negabant finem primarium esse procreationem et educationem prolis, vel asserebant fines secundarios non esse essentialiter subordinatos fini primario. Exinde possibile est aliquos theologos vel inconscienter subiisse influxum horum errorum, quibus liceitas amplexus reservati facilius explicatur [64].

---

intantum iusti sunt huiusmodi actus, inquantum ad coitum actu vel habitu ordinantur, ut iam dictum est, et omnis talis actus venereus, non sic ordinatus, est illicitus et peccatum » (Conradi, *Responsa ad casus conscientiae*, n. 143). « Usus matrimonii est illicitus... si alter coniugum ex morositate vel alia ratione seminationem cohibeat, quod quidem *generatim dicunt esse mortale*, quia finis actus coniugalis, scil. generatio, impeditur » (Busenbaum, *Medulla Theol. Moral.*, de usu matr., dub. 2; cf. s. Alphonsi *Theol. Mor.*, l. VI, n. 915).

[61] *De Malo*, 15, 2.

[62] Cf. notam 60, et alios textus in articulo nostro, in « *Angelicum* », p. 326-330. Debreyne, loquendo de amplexu reservato, sic ait: « Plures alii merito, ut Navarrus, Ledesma, Azor, etc., peccatum mortale autumant, quia impeditur generatio, ad quam copula natura sua ordinatur, et proinde actus coniugalis fine suo primario frustratur;... est graviter contra naturam copulam sic relinquere imperfectam » (*Moechialogia*, Pars II, c. 2, a. 2).

[63] Antonelli, *Medicina Pastoralis*, III, l. c.; Lavaud, in *Revue Thomiste*, 1952, p. 470-472; Gagnon, in *Le Séminaire* (Montréal, Canada), 1952, p. 219-224 (cf. notam 59); *L'Ami du Clergé*, 1952, p. 692-695 (cf. notam 29).

[64] Loquendo de erroribus circa fines matrimonii, haec habet Pius xii: « Qui si tratta di una grave inversione dell'ordine dei valori e dei fini posti dallo stesso Creatore. Ci troviamo dinanzi alla propagazione di un complesso d'idee e di affetti, direttamente opposti alla chiarezza, alla profondità e alla serietà del pensiero cristiano... Al tempo nostro si corre pericolo di perdere di vista lo stesso principio fondamentale. Al presente, infatti, si suole sostenere, con le parole e con gli scritti (anche da parte di alcuni cattolici) la necessaria autonomia, il proprio fine

2) Principalis tamen causa in eo reponenda est, quod *omnes fere moderni moralistae aliquod principium s. Thomae circa usum matrimonii reiciunt*, aestimantes doctrinam Aquinatis in hoc puncto nimis rigorosam et severam esse, ac pessimismum quemdam redolere [65]. Loquendo de usu matrimoniali, s. Doctor expresse dicit

---

e il proprio valore della sessualità e della sua attuazione, independentemente dallo scopo della procreazione di una nuova vita. Si vorebbe sottoporre ad un nuovo esame ed ad una nuova norma l'ordine stesso stabilito da Dio... Purtroppo ondate incessanti di edonismo invadono il mondo e minacciano di sommergere nella marea crescente dei pensieri, dei desideri e degli atti tutta la vita matrimoniale, non senza seri pericoli e grave pregiudizio dell'uffizio primario dei coniugi. Questo edonismo anticristiano, troppo spesso, non si arrossisce di erigerlo a dottrina, inculcando la brama di rendere sempre più intenso il godimento nella preparazione e nella attuazione della unione coniugale... Opponetevi, per quanto vi è possibile, all'impeto di questo raffinato edonismo, vuoto di valori spirituali, e quindi indegno di sposi cristiani... Questo Nostro insegnamento non ha niente da fare col manicheismo o col giansenismo, come alcuni vogliono far credere per giustificare se stessi. Esso è soltanto una difesa dell'onore del matrimonio e della dignità personale dei coniugi » (*Discorso alle ostetriche*, 29 ott. 1951, A.A.S., p. 848-854). In suo commento ad hanc allocutionem Pii XII, sic scribit Rolland : « Il est devenu presque impossible au monde, qui n'en veut plus, de faire entendre les simples paroles de la raison naturelle. En ce qui concerne la loi de la tempérance, spécialement les rapports des gens mariés, l'ambiance dans laquelle nous vivons est inimaginablement pervertie. Le saint Père, dans plusieurs allocutions, a rappelé à cet égard les principes traditionels sur lesquels tous les chrétiens, tous les prêtres surtout, devraient tomber d'accord. Hélas ! Il faut bien le dire, ses paroles d'une si profonde vérité, d'un courage si net, ont été accueillies, pas seulement chez les adversaires, il s'en faut, par des criailleries, des critiques, des sarcasmes. Les rédacteurs (de certaines revues catholiques) ont eu peur de rappeler à leurs lecteurs, élite sociale et chrétienne, l'enseignement qui s'impose à toute conscience catholique. Ces paroles (du Pape) sont trop dures, et qui peut les entendre ?... Ici encore (quoad castitatem coniugalem), on rencontre les objections accumulées à plaisir par le sensualisme contemporain, auquel trop de catholiques et de prêtres mêmes ont fait d'inadmissibles concessions » (*L'Année Théologique*, 1952, p. 317-334).

[65] « Le motif des plus anciens (ad amplexum reservatum reiciendum) est l'illicéité générale, qu'ils admettent, de tout *actus venereus inter coniuges quo non praeparetur immediate actus coniugalis*. Or ce principe est abandonné pratiquement (et theoretice etiam !) par tous les auteurs contemporains... Les auteurs contemporains abandonnent sur ce point précis de la morale conjugale la rigueur de saint Thomas, qui accuse de péché, en tout cas véniel, tout acte conjugal qui n'est point rendu honnête par l'intention de la génération ou par l'exigence de l'autre conjoint » ; unde sententia nostra dicitur esse « contraire à l'opinion la plus commune des auteurs contemporains » (Carpentier, in *N.R.T.*, 1952, p. 977-979). « Le docteur angélique, en fait de morale conjugale, se montre plutôt fidèle au pessimisme augustinien... Ce rigorisme excessif l'amène à condamner sans rémission la finalité médicinale (du mariage) ». (Schahl, O.F.M. *La doctrine des fins du mariage dans la théologie scholastique*, 1948, p. 116 et 119). Cf. etiam Mitterer, *Elternschaft und Gattenschaft nach dem Weltbild des h. Thomas von Aquin und dem der Gegenwart*, Wien, 1949 ; J. Fuchs, *Die Sexualethik des h. Thomas v. Aquin*, Köln, 1949, v. g. p. 311).

quod « duobus solis modis coniuges absque omni peccato conveniunt, scil. causa procreandae prolis et debiti reddendi: alias autem semper est ibi peccatum, ad minus veniale » [66]. Iamvero hoc principium hodie communiter reicitur (contra communem et traditionalem antiquorum doctrinam), et coniugibus plura licita declarantur, quae ad nihil aliud ordinari videntur, nisi ad motibus inordinatae concupiscentiae satisfaciendum. Sed non absque periculo et temeritate reicitur aliquod principium Angelici Doctoris; monuit enim pluries sanctus Papa Pius X « Aquinatem vel parum deserere non sine magno detrimento esse. Parvus error in principio, est magnus in fine » [67].

3) Quod autem moderni doctrinam s. Thomae in hoc puncto dereliquerint, partim saltem ex hoc provenire videtur, *quod matrimonium esse « in remedium concupiscentiae » non semper recte intellexerint.* Ut docet s. Doctor, « contra concupiscentiam potest praestari remedium dupliciter. Uno modo, ex parte ipsius *concupiscentiae*, ut reprimatur in sua radice. Et sic remedium praestat matrimonium per gratiam quae in eo datur. Alio modo, ex parte *actus*. Et hoc dupliciter. Uno modo, ut actus ad quem concupiscentia inclinat exterius, turpitudine careat. Et hoc fit per bona matrimonii, quae honestant carnalem concupiscentiam. Alio modo, ut actus turpitudinem habens impediatur. Quod fit ex ipsa natura actus: quia, dum concupiscentiae satisfit in actu coniugali, ad alias corruptelas non ita incitat. Propter quod dicit Apostolus (I Cor., VII, 9): « Melius est nubere quam uri ». Quamvis enim opera concupiscentiae congrua secundum se nata sint concupiscentiam augere, tamen *secundum quod ratione ordinantur, ipsam reprimunt*: quia ex similibus actibus similes relinquuntur dispositiones et habitus » [68].

Actus coniugalis ergo, bonis matrimonii cohonestatus, remedium praestat concupiscentiae, inquantum ratio continet motus passionis intra fines matrimonii, et dirigit eos ad bona eius (prolis vel fidei). Qui effectus ampliori mensura habetur in matrimonio christiano ex auxilio gratiae, quae concupiscentiam in sua radice reprimit. Etiam debite cohonestatus (per bona matrimonii), actus coniugalis remedium non necessario praestat diminuendo concupiscentiam seu appetitum sensibilem venereorum. Immo, sub hoc aspectu materiali, etsi ad tempus satiat ipsam, potest postea illam augere. Quapropter « concupiscentiae remedium praestare » non est intelligendum (ut fit a pluribus modernis), ac si esset quartum quoddam bonum matrimonii (praeter bonum prolis, fidei et sacramenti), capax,

---

[66] *Supplem.*, 49, 5.
[67] *Fontes C. I. C.*, III, p. 775.
[68] *Supplem.*, 42, 3, ad 4.

quasi iure suo, actum coniugalem cohonestandi; sed intelligi debet ut bonum quoddam actui iam cohonestato (per bona matrimonii) per se adiunctum, quod ut tale a coniugibus licite appeti potest. Unde revera « duobus solis modis coniuges absque omni peccato conveniunt, scil. procreandae prolis et debiti reddendi: alias autem semper est ibi peccatum, ad minus veniale » [69].

4) Quod si causam huius erroris modernorum profundius perscrutamur, forsan in hoc facto invenietur, quod Theologia Moralis, prout a saec. XVII a multis auctoribus tractatur, *indolem casuisticae potius quam verae scientiae induit*, quod absque dubio, variis scriptoribus hoc testantibus, in detrimentum verae Theologiae Moralis cedit, nec semper, quoad mores informandos, bonum influxum habuit [70]. Quid mirum exinde si, scientifica analysi notionum ac principiorum aliquantulum neglecta, quaedam difficiliora problemata non semper recte solverentur? Addi potest quod « *specializatio* » in Theologia non est absque periculo, nam cum sacra Doctrina sit scientia una, non semper recte iudicari potest v. g. aliqua quaestio moralis, nisi simul habeatur cognitio vere scientifica totius Theologiae et bene cognoscantur tractatus dogmatici, v. g. de natura status naturae humanae ante et post peccatum, de ipso peccato originali eiusque consequentiis, de concupiscentia, de necessitate gratiae, etc. [71].

Non ergo inutiliter urgent Summi Pontifices observationem canonis 1366 C.I.C., quo omnia studia philosophiae ac theologiae pertractanda sunt *ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia*. Quod si docilitas erga magisterium Ecclesiae et in sequenda s. Thomae doctrina maior fuisset in omnibus Seminariis et Uni-

---

[69] *Supplem.*, 49, 5. « Matrimonium, sive ante sive post peccatum, non est proprie institutum in remedium concupiscentiae, sed ad procreationem prolis; haec enim est huius proprius finis in utroque statu. Remedium concupiscentiae est aliquis *effectus* eius, quem qui spectant, dum utuntur matrimonio propter proprium eius finem (scil. prolem), aut causa reddendi debiti, non peccant » (Billuart, *Summa s. Thomae*, de Matr., Dissert. I., a. 2, ad 5). Haec autem quaestio specialem meretur articulum, quem, Deo dante, scribere intendimus.

[70] « A medio saeculo XVII ad medium saeculum XIX praevaluit casuistica... Sic theologia fit potius scientia de peccatis vitandis quam de virtutibus exercendis et perficiendis. Unde haec theologia mere casuistica caret efficacia ad movendum homines ad bonum. Unde hoc momento theologia moralis declinat et saepe ad laxismum descendit... In fine saeculi XIX cum Leone XIII quasi resurrexit thomismus... Sed influxus defectuum casuisticae nimis adhuc remanet in pluribus ». (P. Garrigou-Lagrange, *De Beatitudine et de Actibus humanis*, p. 10 et 11).

[71] « Aliquis non potest profunde cognoscere theologiam moralem quin profunde cognoscat theologiam dogmaticam, v. g. circa praedestinationem et gratiam. Cultura specialis studii seu specializatio, ut dicitur, maxime utilis est in scientiis inferioribus, physica, biologia, sed potest esse periculosa in suprema scientia quae est maxime una » (P. Garrigou-Lagrange, op. c., p. 5).

versitatibus, plures errores moderni vitari potuissent, ut in Encyclica « Humani Generis » explicite declaratur; et ad rem nostram quod attinet, hodie a multis facilius admitteretur amplexum reservatum esse intrinsece malum ac proinde nunquam licitum.

Quapropter, cum « inter scholasticos Doctores omnium princeps et magister longe eminet Thomas Aquinas, qui, ut Caietanus animadvertit (in II-II, 148, 4), « veteres Doctores quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est » [72], curent omnes qui philosophiae ac theologiae studio incumbunt, doctrinam suam constanter fideliterque haurire ex fontibus illius summi Magistri, « *qui plus illuminavit Ecclesiam quam omnes alii Doctores; in cuius libris plus proficit homo uno anno, quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae* » [73].

P. Hyacinthus Hering, O. P.
prof. apud « Angelicum »

---

[72] Leo xiii, in Enc. « *Aeterni Patris* », 4 aug. 1879, *Fontes C. I. C.*, III, p. 144.
[73] Joannes xxii ; citatur a S. Pio X, in Enc. « *Doctoris Angelici* », die 29 Iunii 1914, *Fontes C. I. C.*, III, p. 833.

CONSULTATIO

DE ACCUSATIONE MATRIMONII

Sempronius, postquam matrimonium rite cum Titia celebraverat illudque consummaverat, alteri mulieri adhaesit, nomine Caia; imo, in Africam profectus, illuc amasiam suam vocavit, eamque in forma canonica sibi coniunxit, parochum decipiendo. De hoc certior facta, Titia declarationem obtinere nititur nullitatis secundi matrimonii a Sempronio celebrati, et ad hoc Tribunal Ecclesiasticum adit loci in quo suum matrimonium celebratum est.

Quia duo matrimonia in casu celebrata fuerunt, quaeritur:

1) *Utrum a Promotore Iustitiae accusandum sit prius, an alterum.*

Cum insuper Defensoris Vinculi sit matrimonii validitatem tueri, quaeritur:

2) *Utrum Defensor Vinculi certare debeat pro validitate prioris, an alterius coniugii.*

Tandem, cum impedimentum ligaminis, ideoque nullitas secundi matrimonii, pendeat a validitate prioris, quaeritur:

3) *Utrum Titia accusare valeat secundum matrimonium, et Caia primum.*

Respondetur: in casu proposito quatuor hypotheses fingi possunt:

1) si neque Titia, neque Caia, neque Sempronius accusant, Promotor Iustitiae accusare potest et debet matrimonium alterum, id est Sempronii cum Caia; Defensor autem Vinculi hoc alterum matrimonium tueri tenetur. Ratio est quia impedimentum ligaminis est absque dubio iuris publici; iuris autem praesumptio favet priori matrimonio; propterea Promotor Iustitiae accusare potest, imo debet, sive post denuntiationem, sive ex officio, secundum matrimonium, quia hoc irritum est, aut saltem iure praesumitur propter ligamen antecedens.

Defensor Vinculi e contra alterum matrimonium defendere tenetur, quia ei commissum est munus tuendi bonum publicum, quatenus ipsum exigit firmitatem impugnati vinculi.

2) Si Sempronius aut Titia primum matrimonium accusant, Promotoris Iustitiae interventus non requiritur, cum bonum publi-

cum in casu tueatur a Defensore Vinculi, qui defendit matrimonium accusatum et gaudens praesumptione iuris.

3) Si Sempronius aut Caia secundum matrimonium accusant, Promotor Iustitiae intervenire debet ad tuendum primum, dum Defensor Vinculi tuetur validitatem secundi, iuxta et quae dicta sunt in n. 1.

4) Titia non potest accusare secundum matrimonium, neque Caia primum, sed utraque agere tantum potest ad obtinendam declarationem nullitatis matrimonii sui, non autem ad impugnandum validitatem alterius, cuius coniux non est (can. 1971, § 1, n. 1). Attamen Titia potest denuntiare secundum matrimonium et Caia primum, quo in casu figuram sumunt tertii intervenientis in causa, et quidem necessarii (cann. 1852-1853).

Dinus Staffa

UTRUM CLERICI ET RELIGIOSI PROHIBEANTUR QUOMINUS « TOTOCALCIO » LUDANT

1. Canon 138 CJC praemisso, tamquam generali principio, praescripto clericis ab iis omnibus quae statum suum dedecent prorsus esse abstinendum, aliqua in specie enumerat a quibus clericis cavendum esse pressius decernit, inter quae secundum obtinent locum ludi aleatorii: « ludis aleatoriis, pecunia exposita, ne vacent ». Quo quidem peculiari praescripto, religiosos quoque vi can. 592 afficiente, utrum clerici ac religiosi prohibeantur quominus « Totocalcio » ludant, solvendum suscepimus, duabus praecipuis de causis. Quarum prima in eo posita est quod « Totocalcio » quamquam, ex quo initium sumpsit seu ab anno 1946, ita in Italia divulgatum est, ita animum, iuvenum praesertim, allicit atque tenet, ut vitam socialem quodammodo pervaserit, nullum tamen canonistam cognoscimus qui de eius liceitate, ad clericos et religiosos quod attinet, aliquid scite scripserit; secunda autem in eo quod, multis tum in Italia (« Totip ») tum in aliis regionibus (« Pools ») ludis exstantibus qui « Totocalcio » similes esse dignoscuntur, quaestio de liceitate « Totocalcio » ludendi non solum clericorum ac religiosorum in Italia actu commorantium interest, sed etiam aliorum qui in aliis versantur regionibus.

2. Canon autem 138, licet aliquas attulisset immutationes quo ad *universam* disciplinam ludos aleatorios spectantem, tamen quo ad *peculiare praescriptum de* ludis aleatoriis, pecunia exposita, ***non vacando***, ius vetus ex integro refert.

Prohibitio ne *clerici* aleatoriis ludis vacarent, antiquissima sane est in ecclesiastica[1] disciplina. Canones 42 et 43 *Canonum Apostolorum* haec ad rem habent: « 42. Episcopus, aut praesbyter, aut diaconus aleae atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur; 43. Subdiaconus, aut lector, aut cantor, similia faciens, aut desinat, aut communione privetur; similiter etiam laici »[2]. In quo

[1] Etiam Justinianus Imperator, qui de ecclesiasticis rebus tractare consuevit, constitutione die 1 mensis maii a. 546 promulgata, clericis, poena suspensionis tribus annis et detrusionis in monasterio, interdixit « ad tabulam ludere aut talia ludentibus participes aut inspectores fieri » (N. 123, 10).

[2] Migne, P. L., t. 67, col. 146. Parum differt textus a C. H. Turner (*Ecclesiae Occidentalis monumenta iuris antiquissima*, Oxonii, 1899, t. I, fasc. I, pars prior, p. 7) exhibitus. De valore iuridico *Canonum Apostolorum* videsis A. Van Hove, *Prolegomena*, 2a ed., Mechliniae-Romae, 1945, p. 130. Canones 42 et 43 *Canonum Apostolorum* in multis, quae tempore decurrente adornatae sunt iuris canonici

quidem textu illud « deserviens » notatu dignum habuit primum [3] glossa ordinaria ad GRATIANI *Decretum*, dicens: « *Deserviens*, id est, valde serviens, ut illa praepositio *de* augmentet », iuxta Ulpianum (D. 16, 3, 1), ac si diceret: non prohibentur quidem clerici quominus aleae semel iterumve ludant, sed quominus aleae « deserviant », seu: vacent, operam dent, facile indulgeant, tempus terant, etc.

Prohibitio vero ne *religiosi* aleatoriis ludis vacarent, primitus in can. 14 Conc. Moguntini (a. 813) occurrit, quod inter « negotia saecularia » a quibus iubet clericos et monachos abstinere, « aleas amare » recenset; qui quidem canon ex receptione in Decretalibus Gregorii IX [4] ius evasit universale. « Aleas *autem* amare » ut « affectum habere cum effectu » accipimus, idest non amare tantum quin ludatur, sed amare et ludere, studiose ludere, deservire, vacare, etc., ut patet tum ex eo quod « aleas amare » saeculare *negotium* esse dicatur, tum ex glossae auctoritate quae citat c. 1. D. XXXV (seu quos supra memoravimus canones Apostolorum 42 et 43), authenticam *Interdicimus* (N. 123, 10, 1) qua clericis prohibebatur « ad tabulam ludere », et c. 15, X, *de vita et honestate clericorum*, III, 1.

Hoc autem postremo canone, in Conc. Lateranensi IV (a. 1215) promulgato, Innocentius III disciplinam tunc usque vigentem rigidiorem fecit, quatenus clericos non solum « ad aleas et taxillos » ludere, sed etiam « huismodi ludis » interesse vetuit, ita ut si clericus publice aleator exstitisset, a promotione seu dignitate obtinenda repellendus fuisset, immo, post canonicas monitiones, ab obtenta [5].

Posteriora denique documenta fere nihil novi decernunt, sed « quae alias a summis Pontificibus et a sacris Conciliis de... aleis, lusibus... faciendis copiose ac salubriter sancita fuerunt » urgent

---

privatae collectiones, occurrunt atque referuntur, ut puta in BURCHARDI Worm. *Decreto* (XIV, 5 in P. L., t. 140, col. 891), in S. IVONIS Carnut. *Decreto* (XIII, 73 in P. L., t. 161, col. 816) et *Panormia* (III, 170 in P. L., t. 161, col. 1170), in Cardinalis GREGORII *Polycarpo* (VI, 17, 6), in *Collectione Caesaraugustana* (VIII, 50), in GRATIANI *Decreto* (c. 1, D. XXXV); cfr. etiam RABANUS MAURUS, *Poenitentium Liber* (c. 28 in P. L., t. 112, col. 1419) et REGINO PRUMIENSIS, *De ecclesiasticis disciplinis et religione christiana* (I, 144 in P. L., t. 172, col. 219); quod satis demonstrat clericos paulum alearum ludo in media quae dicitur aetas indulsisse, sicut, caeteroquin, aliis historicis documentis comprobatur (cfr. e. g., c. 11, X, *de excessibus praelatorum et subditorum*, V, 31 in quo Innocentius III pravam declarat consuetudinem in Gallia tunc temporis vigentem « qua fere universi clerici mutuant sic frequenter et ludunt », qua scil. mutuabant undecim denarios pro duodecim in ludo).

[3] Idem observant Auctores fere omnes post glossam.

[4] C. 1, X, *ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immesceant*, III, 50.

[5] C. 11, X, *de excessibus praelatorum et subditorum*, V, 31.

observanda « iisdem poenis, vel maioribus arbitrio Ordinarii imponendis » [6].

Ut videre est, duae sunt quas nova Codicis I. C. disciplina attulit immutationes: prima quidem est, in Codice (c. 138 et toto L. V.) nullam fieri mentionem de poenis contra clericos religiososque aleatoriis ludis vacantes in iure veteri latis, quae, proinde, abrogatae habendae sunt (cfr. c. 6, n. 5); secunda vero, non amplius clericos et religiosos prohiberi quominus ludis, etiam aleatoriis, intersint. Ad praescriptum autem de non vacando ludis aleatoriis quod attinet, can. 138 ex integro ius vetus refert: « ludis aleatoriis vacare » enim idem esse ac « aleae deservire » vel « aleas amare » supra breviter exposuimus. Quo tamen, quod modo memoravimus, non obstante, necessarium putamus fusiori subiicere explanationi praescriptum can. 138 de aleatoriis ludis, pecunia exposita, non vacando (referentes, ubi casus ferat, receptas apud probatos veteres Auctores interpretationes; cfr. c. 6, n. 2), quo clarior nostra, quam probaturi sumus, pateat conclusio.

3. a) *Ludus* est « exercitatio quaevis animi vel corporis recreandi causa suscepta » [7] seu, iuxta divum Thomam (II-II, q. 168, a. 2), aliquod factum ad animi delectationem ordinatum. Licet autem quis solus ludere possit, ut fit e. g. in ludis chartarum solitariis qui dicuntur, usitate tamen duo pluresve sunt ludo participantes, cui si - ut plerumque accidit - pactum adiiciatur ut praemium aliquod (sive in pecunia sive non in pecunia) victori obveniat, ludus naturam induit contractus qui a moralistis definitur: Contractus aleatorius, quo conceditur praemium illi, qui in aliquo certamine ob delectationem inito victoriam obtinuerit [8].

b) Ludus autem *aleatorius* dicitur et est si eius eventus magis a fortuna pendet quam ab arte ludentis, seu « in quo nihil, aut certe parum ars et ingenium proficit, sed a fortunae varietate, casuque eventus pendet » [9], ut sunt e. g. ludus tesserarum, ludus talorum seu

---

[6] Conc. Trid., sess. XXII, *de ref.*, c. 1; cfr. etiam sess. XXIV, *de ref.*, c. 12; Innoc. XIII, const. *Apostolici Ministerii* (23/5/1723), § 8 in Gasparri, *Fontes*, I, n. 280, pp. 585-86; Bened. XIII, const. *In supremo* (23/9/1724), § 6, ib., I, n. 283, pp. 601-602; canones Conciliorum Burdigalensis (a. 1583), Senonensis (a. 1598) et Mediolanensis sub S. Carolo a L. Ferraris, (*Prompta Bibliotheca*, v. *Clericus*, art. V, n. 1) relatos, aliosque in *In Acta et Decreta sacrorum Conciliorum recentiorum Collectio Lacensis*, III (Friburgi Brisgoviae, 1875) et seq., *passim*. In poenis imponendis, praesertim excommunicationis latae sententiae, Ordinarios quam prudentissime sese esse gerendos, non semel monuit S. Congr. Concilii (cfr. Benedictus XIV, *De Synodo dioecesana*, lib. X. cap. 2, n. 2).

[7] A. Forcellini, *Lexicon totius latinitatis* (Patavii, 1831), v. *ludus*.

[8] Videsis D. M. Pruemmer, *Manuale Theol. mor.*, t. II, n. 316.

[9] A. Forcellini, o. c., v. *Alea*.

taxillorum [10] et, inter eos nostrae aetatis, « roulette ». Si contra eius eventus magis ab arte et ingenio ludentis pendet quam a fortuna, ludus *industrialis* dicitur seu non-aleatorius, cuius speciei sunt e. g. ludus latrunculorum (*schacchi*), ludus pilae (*calcio*, *foot-ball*), ludus conorum (*birilli*) et ludus calculorum (*dama*). Medium tenet locum ludus *mixtus*, in quo scil. « est mixtura ingenii et fortunae » seu cuius eventus partim a fortuna, partim vero ab arte et ingenio ludentis pendet, ut sunt multi ludi chartarum [11].

c) Aleatoriis ludis tamen clerici non quidem absolute prohibentur, sed hac conditione quod pecunia ab eis exponatur, idest sorti fortunaeque committatur, et quidem iuxta alicuius momenti quantitatem, ratione habita patrimonialium seu oeconomicarum clerici

---

[10] Romani qui licet pluries prohibiti fuissent (cfr. D. 11, 5, 2 et 3), quam maxime tamen ludis aleatoriis utebantur, hos generica denominatione *aleam* vocabant. Aleae autem ludebatur in tabulam aleatoriam seu alveolum iactando vel tesseras lusorias (idest osseos vel ligneos cubos punctis distinctos, qui *dadi* italice dicuntur) vel talos seu taxillos (idest ossa « quasi cubicae figurae in articulo pedis multorum animalium »; A. Forcellini, o. c., v. *Talus*). Cfr. E. Paoli, v. *Giochi d'azzardo*, in *Enciclopedia Ital.*, p. 339. Aliae denominationes occurrunt in ea quae media aetas dicitur ad ludos aleatorios designandos: zara, ludus morbiale, ludus ad gnaffum (Bononiae), ad pariandum, ad passarellam (Brixiae et Comii). Cfr. G. Bertoni, v. *Giochi di fortuna*, *d'inganno e di società*, in *Enc. Ital.*, p. 340.

[11] *Multos*, diximus, quia non pauci sunt chartarum ludi qui revera aleatorii esse dignoscuntur. Civilis italica iurisprudentia tamquam aleatorios habet hos ludos chartarum qui vulgo dicuntur: baccarà, sette e mezzo, macao, poker, zecchinetta o toppa, bestia, primiera, trentuno, faraone, pitocchetto o piattello, goffo, trentacinque, uomo nero, petrangola. Cfr. E. Battaglini, v. *Giochi, repressione penale del g. d'azzardo*, in *Enc. Ital.*, pp. 353-54. Notandum tamen est italicam legislationem sub aleatoriis ludis prohibitis lata acceptione comprehendere quos ludos quis mixtos appellaret ac haberet: « La nozione del gioco d'azzardo secondo l'articolo 721 p. p. del Cod. pen. 1930... è integrata dal duplice elemento dell'alea e del fine di lucro. Quanto al primo elemento non si richiede... che la vincita o la perdita dipendano esclusivamente dalla sorte...: basta che ne dipendano « interamente o quasi interamente », *estendendosi così in parte la nozione a quei giuochi in cui* est mixtura ingenii et fortunae (Claro) ». E. Battaglini, art. et loc. cit. Quamvis difficile aliquando revera sit discernere quisnam ludus in specie sit aleatorius, quisnam mixtus aut industrialis, hoc tamen nullum *fere* momentum practicum habet, quia, ut statim dicemus, nullus est ludus, utcumque aleatorius, cuius moderatus usus clericis prohibeatur (*infra*, n. 4). Ex quo consequitur non amplius esse audiendos multos veteres scriptores qui ludum chartarum severissime iudicaverunt eo vel magis quod antiquo iuris rigori per desuetudinem derogatum erat iam ante Codicem promulgatum. Cfr. Instr. S. C. de Propag. Fide circa decreta a Synodo Provinciali Baltimorensi edita, in *Acta et decreta... Coll. Lacensis*, III, col. 24: « In Decreto vicesimo octavo statuitur: *Evitent Sacerdotes lusum alearum et chartarum*. Nimis rigorosum visum est S. Congregationi lusum chartarum generatim prohiberi. Conc. Trid. voluit clericos *ab illicitis lusibus abstinere*; praeterea S. Carolus Borromeus, in sua prima Provinciali Synodo, inter eos ludos qui Clericis vetantur, chartarum ludum non numerat... ».

ludentis conditionum. Cum enim parum pro nihilo reputetur, si pecunia exponatur quidem, sed iuxta ita exiguam quantitatem ut pro nihilo reputetur, clericos ex praescripto can. 138 non prohiberi quominus ludis, etiam aleatoriis, ludant, probati docent Auctores [12].

d) Tandem quod proprie clericis prohibetur est aleatoriis ludis *vacare* quod *operam dare* in iure recte exponitur (cfr. D. 4, 8, 32; *supra*, n. 2), seu *diu et frequenter insistere* [13]. Quo quidem verbo « *vacare* » ea ratione usum fuisse ecclesiasticum Legislatorem putamus, ut signaret, a contrario sensu, posse clericos quandoque et moderate ludere, quod virtutis eutrapeliae est, potius quam, a litterali sensu huius verbi, non posse ludis maxime aleatoriis vacare, quod plerumque vitiosum est vel saltem periculis multis scatet in peccata labendi ideoque iam a iure naturali quodammodo prohibitum. Formula prohibitiva « ne vacent » utendo, Legislator utrumque obtinet: et clericos ex peccandi periculis servat et simul non impedit quominus clerici, moderate ludendo, virtutem exerceant eutrapeliae.

4. Ex his quae hactenus praenotavimus illud consequitur, clericos nempe prohiberi quidem quominus ludis aleatoriis, pecunia exposita, *vacent*, non prohiberi vero quominus *aliquando* et *moderate ludant* sive ludis aleatoriis, pecunia exposita (« aliquando » enim et « moderate ludere » non est « vacare ») [14], sive, a fortiori, aleatoriis ludis, pecunia non exposita, aut non-aleatoriis vel mixtis etiam pecunia exposita. Sat mitem se exhibet generalis [15] ecclesiastica [16] legislatio: minimum enim, et quidem nulla adiecta poena, a

[12] Praeter Auctores qui a L. Ferraris (o. c., v. *Ludus*, V, n. 4) citantur, videsis A. Toso. *Comm. minora*, lib. II, Tifernii Tiberini, ad c. 138, n. 3); Ph. Maroto, *Inst. iuris can.*, t. I, Matriti 1919, ad h. c.; I. Chelodi-P. Ciprotti, *Ius can. de personis*, 3a ediz., Vicenza, 1942, n. 120, b; C. Berutti, *Inst. iuris can.*, vol. II, Augustae-Taurinorum 1943, n. 51, 2; S. Goyeneche, *Iuris can. summa principia*, s. d., t. I, p. 172, *nota* 3; F. Claeys Bouuaert, in *Traité de droit canonique*, t. I, Paris 1948, n. 422.

[13] Cfr. B. Ojetti, *Commentarium in C. I. C.*, L. II, Romae, 1930, ad can. 138.

[14] Cfr. Auctores in nn. 12 et 13 citatos.

[15] Non est dubium quin Ordinarii possint in suo quisque territorio, ob speciales circumstantias, severiorem imponere disciplinam. « Qua in re cavendum est, ne nimius rigor exerceatur... At minime Episcopus poterit argui excessus, si clericis illos ludos *(giuochi d'azzardo)* severe prohibeat, qui ex codice criminali potestatis civilis omnibus civibus interdicuntur ». F. X. Wernz, *Jus Decretalium*, t. II, Prati 1915, n. 214, III.

[16] Si hoc excipias quod ecclesiastica legislatio prohibet quominus clerici aleatoriis ludis vacent *ubicumque*, civiles legislationes severiores, generatim, sunt quam ecclesiastica: prohibent enim, et quidem *adiecta poena*, non solum quominus (in publicis locis) aleis *vacetur*, sed etiam quominus *ludatur* (ad italicam legislationem quod attinet, cfr. etiam *supra*, *nota*, n. 11).

clericis evitandum, praescribit ita ut perraro occurreret casus ut clerici ludentes, servatis aliunde servandis (e. g. praecauto scandalo), contra praescriptum can. 138 graviter peccarent [17]. Sed et multa sapientissimus Legislator in paucis coarctavit verbis atque foedere sociavit amico: a peccandi periculis clericos servat, quin impediat quominus virtus a clericis exerceatur eutrapeliae; abusum in vacando ludis compescit, moderatum usum in ludendo non vetat; clericalis ordinis decori tum morali tum oeconomico consulit, quin clericorum libertatem laedat.

5. Sed et in quo « Totocalcio » consistat necnon de eiusdem natura aliquid praemittere necessarium habemus. Quae ut recte intelligantur, sciendum est plures exstare in Italia coetus pilae ludentium (*squadre di calcio*, *di foot-ball*) qui bini et bini quolibet die dominico, aestivo excepto tempore, inter se certant, agone (*partita*, *derby*) ita variante ut si e. g. coetus A cum coetu B et C cum D certavit, postea A cum C et B cum D certabit, etc. Praecipuorum autem coetuum, numero 26, nomina in duplici columna alicuius schedulae bina et bina scripta sunt, tredicim scil. in prima columna, tredecim vero in altera quae iuxta primam posita est; quae quidem omnia seriem et ordinem certaminum inter varios coetus habendorum indicant [18].

« Totocalcio » autem consistit in scribendo prope alteram columnam varia signa eventum cuiusque proxime futuri certaminis indicantia, signum scil. 1 si quis praevidet victoriam coetus cuius nomen primo loco scriptum est in schedula, signum vero 2 si victoriam coetus cuius nomen secundo loco scriptum est, signum tandem *X* si neutrius. « Totocalcio » luditur pecuniam exponendo saltem 100 italicarum libellarum. Qui omnium tredecim certaminum — vel saltem duodecim — eventum recte praeviderint recteque in schedula adnotaverint, vincunt eo maiorem minoremve pecuniae summam, quo a) maiores numero minoresve sunt ludo participantes et b) minores maioresve numero sunt victores [19].

---

[17] B. Ojetti, op. et l. cit.; cfr. etiam S. Alphonsus, *Theol. mor.*, lib. III, n. 900 et D' Annibale, *Summula*, III, 160.

[18] E. g. si in prima linea schedulae scriptum est: 1. Coetus A (in prima columna), Coetus B (in altera columna), hoc significat primum certamen habiturum esse inter Coetum A et B et quidem, ut in pluribus, in stadio A.

[19] Statutum quo « Totocalcio » regitur in *Gazzetta Ufficiale*, n. 214, diei 18 m. augusti a. 1951, promulgatum est (cfr. etiam, n. 496, d. 14/4/1948 et n. 581, d. 18/4/1951). Prioribus quinque annis, a mense septembri a. 1946 ad mensem iunium 1951, qui summam pecuniae saltem 1.000.000 italicarum libellarum « Totocalcio » (unusquisque) vicerunt, 1909 numerantur, quorum 101 plus 10.000.000 vicerunt. Cfr. *Documenti di vita italiana*, a. 1 (1951), n. 1 pp. 89-94 = *Sport*, pp. 1-3. Ma-

6. Ad naturam autem « Totocalcio » quod attinet, recte quis dubitaret utrum revera ipsum habendum sit ut ludus an ut sponsio; quod quidem dubium nobis solvendum putamus ex communi italicorum civilistarum doctrina. Hi autem tenent ludum et sponsionem valde similes certo esse (ambo sunt enim contractus aleatorii), differre tamen inter se; elementum vero quo inter se differunt, in contrahentium intentione ponendum esse putant. De quo optime C. Viterbo: « Il carattere che distingue il giuoco dalla scommessa va ricercato nell'intenzione dei contraenti, che nel caso della scommessa vogliono confortare, esponendosi al rischio di una perdita pecuniaria, una loro previsione di un avvenimento, e nel caso del giuoco vogliono soltanto far dipendere da un avvenimento futuro e incerto l'alternativa possibilità di un guadagno o di una perdita »[20]. Ut aliis verbis rem exponamus, spondentes *primario* intendunt se recte futurum eventum praevidisse demonstrare, periculo sese offerentes pecuniam, si recte non praeviderint, amittendi; ludentes vero lucrum facere ex futuro eventu. Distinctionem tandem, in aliquibus casibus, esse revera difficilem et quodammodo impossibilem, idem notat cl.mus, quem citavimus Auctorem [21].

Ex dictis autem consequitur « Totocalcio » magis ad ludi aleatorii (prout hoc verbum « aleatorii » accipitur ab italica iurisprudentia; cfr. *supra*, *nota* 11) quam sponsionis naturam accedere. « Totocalcio » ludentes enim ad lucrum ex praeviso futuro eventu faciendum suam intentionem videntur dirigere, non *per se* ad exitum, quem praeviderunt, futuri eventus corroborandum: volunt quidem ut eventus futurus sit prout praeviderunt, sed hoc intendunt non *ut finem*, sed tamquam *medium* lucri faciendi.

Sententiam tamen « Totocalcio » esse ludum [22], potius quam

---

ximum usque adhuc lucrum tamen hoc decurrente anno a duobus factum est: unusquisque vicit 104.361.000.

[20] C. Viterbo, v, *Giuochi, Giuoco e scommessa* in *Enc. Ital.*, p. 353. Immediate post, haec adiungit verba: « Non è già, come a prima vista può sembrare, che il carattere distintivo fra il giuoco e la scommessa consiste nella partecipazione o meno delle parti all'avvenimento da cui dipende la vincita o la perdita: può essere scommessa quella che fanno fra loro due corridori sull'esito della corsa, e giuoco quello che su di essi fanno gli spettatori; giuoco quello che fanno due giocatori di carte, scommessa, quella che per avventura facciano i presenti sull'entità delle vincite dei giocatori ». Cfr. etiam C. A. Funaioli, *Il giuoco e la scommessa* (*Trattato di Diritto Civile Italiano*, vol. IX, t. II, fasc. I), Torino 1950, pp. 8-9.

[21] « La distinzione fra il gioco e la scommessa riesce difficile nei casi limiti, quando le parti, non convinte dell'assoluta sicurezza della loro previsione si affidano in parte anche alla sorte ». C. Viterbo, art. et loc. cit. Notat etiam C. A. Funaioli, op. cit. p. 8, « ludum » et « sponsionem » aliquando promiscue usurpari.

[22] Hanc sententiam tenent A. Orvieto, (cuius verba *infra*, in nota 24 et C. A. Funaioli, op. cit., pp. 5, 103-108.

sponsionem, ut probabiliorem tantum, non ut certam habemus, aliquibus in contrarium exstantibus argumentis, quae solvere consulto omittimus tum brevitatis gratia, tum quia quocumque modo quaestio de « Totocalcio » natura solveretur, eadem semper teneret, quam statim probaturi sumus conclusionem [23].

7. His praemissis, quo modo dubium quod ab incepto hoc articulo posuimus, solvendum sit et quibus argumentis, nobis tantum restat dicendum. Sit igitur:

Conclusio prima: *Clerici ex praescripto can. 138* (dummodo, proinde, lex particularis dioecesana vel provincialis contrarium non statuat) *non prohibentur, servatis aliunde servandis* (e. g. praecauto scandalo in aliquo loco fortasse orituro, etc.), *quominus* « *Totocalcio* » *ludant.*

A. Quatenus concedatur « Totocalcio » esse ludum.

a) « Totocalcio » haberi nequit ut ludus aleatorius, sed mixtus. Exitus enim futuri eventus, tredecim scil., inter viginti sex, Coetuum pilae ludentium certaminum, nec exclusive, ut est in Loteria, nec magis a fortuna pendet, quam ab arte et ingenio ludentis; ludens enim, si Coetuum pilae ludentium compositionem et momentum cognoscat, recte praevidere potest saltem maioris partis certaminum habendorum exitum: quod si — ut saepe accidit — *alicuius*, unius scil. duorumve, etc., certaminis exitus non ita erit prout a ludente, cognitione niso quam de variorum Coetuum compositione et momento sibi acquisivit, praevisus fuerit, hoc quidem « Totocalcio » probat esse ludum mixtum, non probat vero esse alea-

---

[23] Principalis difficultas in eo est quod sive in Statuti specialis, quo « Totocalcio » regitur, titulo (« Regolamento Ufficiale dei concorsi *pronostici* a svolgimento periodico connessi con le partite di calcio »), sive in textu (e. g. art. 2: « Il concorso consiste nel *pronosticare*... ») verba adhibeantur quae « Totocalcio » esse sponsionem innuere videntur (cfr. etiam Cass. Civ. I Sez. Civ., n. 956, diei 14/4/1950: « Il Totocalcio pone in essere un unico contratto plurilaterale e misto nel quale gli elementi della *scommessa*... »). - Re quidem *obiective* inspecta, de sponsione ageretur, *subiective* vero, seu quoad intentionem « Totocalcio » participantium, de ludo ratione supra allata. Caeteroquin documenta officialia non desunt, ad quae expresse provocat Statutum quaeque sponsionem ut *speciem ludi* videntur habere, e. g. Decretum legislativum n. 496, diei 14/4/1948 (in Gazzetta Ufficiale, n. 118, diei 22/5/1948) cuius titulus est: *Disciplina delle attività di giuoco*, qui in art. 1 habet: « L'organizzazione e l'esercizio di *giuochi* di abilità e di *pronostici* ». Cfr. etiam *infra*, *nota* 25. C. A. Funaioli, op. cit., p. 6, meminit art. 1272 Codicis civilis austriaci habere ludum ut speciem sponsionis: « Ogni giuoco è una speciale forma di scommessa ».

torium [24]. Clerici autem aleatoriis ludis prohibentur, mixtis non prohibentur.

b) Pecunia quae « Totocalcio », vi eiusdem specialis Statuti, minima exponenda est, idest 100 italicarum libellarum, ita, earumdem exstante deminuto valore, exigua videtur, ut pro nihilo recte reputari possit et debeat: centum enim libellis quattuor ephemerides (*giornali*) aut vix viginti bellaria (*caramelle*) emi possunt. Verba autem can. 138 praescripti « pecunia exposita » ex probatorum Auctorum sententia de pecunia alicuius momenti, et quidem patrimonialium seu oeconomicarum cuiusque clerici ludentis habita ratione, esse intelligenda *supra* (n. 3, c) breviter exposuimus.

c) Fere impossibile est ut clericus « Totocalcio » *vacaret*, etiam tempore, quod quis insumeret in Coetuum pilae ludentium compositionis et momenti cognitione sibi adipiscenda, supputato: schedula enim uno vel duobus scribi minutis, cognitio vero ab ephemeridibus facile acquiri potest. Clerici autem non prohibentur quominus ludis, etiam aleatoriis, ludant, sed quominus iisdem *vacent*.

B. Quatenus concedatur « Totocalcio » esse sponsionem.

a) Principium est in iure romano receptum: quibus rebus licet ludere, in illis « etiam sponsionem facere licet » (D. 11. 5. 3). Ex quo illud deducitur quod, cum clerici non prohibeantur quominus pilae ludant, non prohibeantur quoque quominus in pila (idest in futuro eventu inter pilae ludentes certaminis) sponsionem faciant.

b) Sed et alia urgent argumenta, *eadem* quidem quae modo memoravimus (A: a, b, c) si ponimus aut 1) nomine « ludi aleatorii » de quo in can. 138 sponsionem quoque venire, ut probabile habemus [25], aut 2) non venire quidem, agi tamen de materia valde

---

[24] « Totocalcio » esse ludum aleatorium expressis docuit verbis A. Orvieto, scribens (*L'imperatore Vespasiano e il Ministro Vanoni*, in *Candido*, a. IX (1953), n. 18 (d. 3 m. maii), p. 27, col. 5): « Non mi direte che il totocalcio non è un giuoco d'azzardo, dopo che la Corte di Cassazione da vent'anni sentenzia che è un giuoco d'azzardo il poker: dove pure non può influire, sull'esito della partita, l'evento del tutto imprevidibile di un calcio negli stinchi sferrato dal giocatore bianco al giocatore nero o viceversa ». « Totocalcio » autem esse ludum aleatorium, *prout hoc verbum « aleatorium »*, *iuxta italicam iurisprudentiam*, *lata interpretatione comprehendere* supra *diximus etiam quos ludos aliae legislationes mixtos vocarent ac haberent*, concedi potest; secus non.

[25] Affirmativam sententiam ut sat probabilem habemus duabus rationibus, ut aliam, utpote quae veram probationem afferre nequeat, omittamus ex comparatione inter ecclesiasticam et civiles legislationes (ius italicum sub eodem titulo: *Del giuoco e della scommessa*, de utroque simul agit, quatenus: « ha parificato il trattamento giuridico del giuoco e della scommessa ». - F. Degni, v. *Giuochi e Scommesse*, in *Nuovo Digesto Italiano*, pp. 356-357; cfr. C. A. Funaioli, op. cit., p. 8: « Ma anche nella legge civile i due istituti sono parificati negli effetti, non però ridotti a

simili ideoque praescripti can. 20 applicationi locum esse, quo in casu lex lata in similibus esse nequit nisi quae in ludo lata est in can. 138; *sequens* vero, si ponimus 3) agi quidem de materia valde simili, at praescripti can. 20 applicationi locum non esse [26]: Id quod nec a iure naturae nec a iure positivo expresse, sive explicite sive implicite, prohibetur, permittitur aut permitti praesumendum est in praxi. Cum autem nec a iure naturae nec a iure positivo sponsione clerici prohibeantur, clerici quominus sponsionem faciant non prohibentur supra futurum eventum certaminis inter pilae ludentes.

8. Conclusio secunda: *Religiosi ex praescripto iuris communis* (dummodo, proinde, regula vel Constitutiones alicuius in specie religionis contrarium non statuant), *aliquibus exstantibus conditionibus infra memorandis, non prohibentur quominus et ipsi « Totocalcio » ludant.*

Haec conclusio aliquibus scatet difficultatibus, quam quo clarius probemus, ordine ac veluti gradatim nobis procedendum esse opportunum ducimus.

a) *Religiosi nequeunt per se in pecuniam ludere.*

Cuius rei ratio est quod pecuniam ludo exponere sit actus dominii, quod tamen, paupertatem Deo voventes, religiosos amisisse constat, utile quidem religiosos a votis simplicibus, utile autem et radicale religiosos a votis solemnibus. Religiosi igitur in pecuniam ludere nequeunt, licite quidem religiosi a votis simplicibus, licite autem et valide (ludus est contractus aleatorius) religiosi a votis solemnibus (cfr. c. 579).

---

tutt' uno »; quoad ius romanum videsis D. 11, 5, 3): 1) quia ecclesiasticus Legislator regulam *obiectivam* in can. 138 tradit, cuius observantia a *subiectivo* elemento intentionis contrahentium dependere non potest; secus enim facile lex eluderetur: nam possent aleis in pecuniam ludentes intentionem suam dirigere non ad lucrum faciendum, sed ad exitum, quem praeviderunt, futuri eventus corroborandum, eo vel magis quod, re obiective inspecta, quibusdam in casibus distinctionem inter ludum et sponsionem esse fere impossibilem, supra diximus; 2) quia inter alias rationes, quibus in ludis aleatoriis clericis prohibendis motus fuit Legislator, illa etiam certo accensenda est, qua Ipse voluit clericalis ordinis *oeconomico* consulere decori (« pecunia exposita ») ac proinde praecavere ne clerici, in pecuniam ludentes, sua bona, perdentes, amitterent atque in egestatem reducerentur. Periculum autem bona amittendi *idem* est, immo, ut in pluribus, *maius* videtur adesse in sponsione quam in ludo.

[26] Per hypotheses processimus, quia sat longum fuisset doctrinaliter determinare utrum in casu de quo agimus praescripti can. 20 applicationi locus revera esset necne, cum de sensu, extensione et applicatione huiusmodi praescripti non una sit Doctorum sententia. Cfr. G. Michiels, *Normae Generales*, 2a ed., t. I, Parisiis, 1949, ad h. c.

b) *Superiores religiosi possunt licentiam ad ludendum suis cuiusque subditis concedere, « ludo tamen honesto, praecisis scandalo et lege prohibente ».*

« ... ludus *enim*, ut ludus, praecisus a malis circumstantiis, est de necessariis ad quietem animae et comporis recreationem (cfr. S. Th., II-II, q. 168, a. 2)... unde ludus dicitur actus eutrapeliae... hoc est, necessarius ad honestam animi recreationem... Dixi... *lege proibente*, quia Superior, regulariter loquendo, nihil potest contra sacros canones concedere, nec adversus propriam regulam: unde non potest Superior indulgere ad ludendum principaliter propter lucrum; nec aleis, per quas significatur omnis ludus, qui principaliter nititur sorte, aut casu, vel fortuna, quam industria et arte humana... » [27].

c) *Superiores religiosi possunt expressam vel tacitam licentiam suis cuiusque subditis concedere ad ludendum in modica pecuniae quantitate.*

Superiores enim religiosi patrifamilias assimilantur, qui rerum familiarium est dispensator. Sicut ergo paterfamilias expressam vel tacitam licentiam suo filo concedere potest in modica pecuniae quantitate, iuxta suas facultates, ad animi recreationem, ludendi (*ludendi* quidem, quia ludus, ut ludus, est de necessariis ad vitae sustentationem, idest animae quietem et corporis recreationem; *iuxta*, non ultra, *suas facultates* autem, quia secus rerum familiarium esset dilapidator), ita et superiores religiosi expressam vel tacitam licentiam, dummodo non obstet lex prohibens sive communis sive particularis suae religionis, suis cuiusque subditis concedere possunt in modica pecuniae quantitate ludendi (non enim superior concedere posset licentiam « expendendi in quoscumque usus, immoderatam pecuniae quantitatem, secus foret dilapidator et non conservator rerum monaterii »), ludo honesto, ad animi recreationem [28].

d) In quibusdam religionibus mos est religiosos singulis mensibus a Superioribus modicam pecuniae quantitatem accipere, ut puta 1000 libellas, ad parvam eleemosynam faciendam, ad pretium solvendum ut curru publico (*Tram*) utantur, ad ephemeridem emen-

---

[27] Hyacinti Donati, *Rerum regularium praxis resoluloria*, t. III, Coloniae Agrippinae 1675, tract. XV, q. 28, nn. 1 et 4.

[28] H. Donati, op. cit., tract. XV, q. 29, nn. 1-3; F. Pellizzarius, *Manuale regularium*, t. II, Venetiis 1648, tract. VI, cap. XI, n. 16: L. Ferraris, op. cit., v. *Ludus*, n. 12 (ubi multi citantur Auctores idem sentientes). Modica pecuniae quantitas quam Superior religioso expendendam concedere posset, fuisset, tunc temporis, iuxta Sotum et Navarrum quidem, quattuor vel quinque ducati quotannis, iuxta Donati vero (op. et loc. cit., n. 5) et Pellizarium (op. et loc. cit.) dimetienda relinquitur « arbitrio viri prudentis ».

dam, etc. *Ex tacita vel saltem praesumpta Superiorum licentia dictae pecuniae partem posse religiosos « Totocalcio » exponere putamus*: ista enim pecunia ita solet religiosis concedi, ut, in praxi, in liberam eorum dispositionem relinquatur, quin Superiores eiusdem petant rationem, et ideo, nisi contrarium probetur, praesumendum est Superiores tacitam suis subditis concedere licentiam dictam pecuniam impendendi in quoscumque usus licitos, qui scilicet a iure naturali et a iure positivo sive communi sive particulari non prohibiti inveniantur [29]. « Totoalcio » autem iure prohibitum non esse supra fusiori demostravimus calamo. Sicut igitur religiosus absque ullo scrupulo illam impendit in emendo ephemerides vel bellaria, etc., ita et « Totocalcio » exponere potest: parum enim haec inter se differre dignoscuntur [30].

e) Si religiosus aliquam pecuniae summam, « Totocalcio » ludens, vicerit, illam non sibi acquirit, sed professus a votis simplicibus quidem, suae religioni, vi can. 580, § 2 praescripti: « Quidquid autem industria sua... acquirit, religioni acquirit »; professus a votis solemnibus autem, Ordini (vel Provinciae, vel domui, secundum Constitutiones), si Ordo sit capax posidendi, secus S. Sedi (cfr. c. 582).

9. Eatenus clericos et religiosos posse « Totocalcio » licite ludere cum unanimi Doctorum sententia concedendum est, quatenus principaliter ad animi oblectationem et non ad lucrum faciendum clerici ac religiosi luderent. Hinc autem difficultas sane non spernenda oritur.

Difficile enim videtur quis posse delectationem invenire in « Totocalcio » ludendo, ut patet ex iis quae supra diximus de eo in quo

---

[29] Placet hic referre haec quae clarissime scribuntur verba a F. Pellizzario (op. cit., n. 15): « Quaeres VIII. An, et quando Regulares possint ludo exponere pecuniam ipsis ad usum concessam... R. Posse, si ludi sint liciti, quantitas moderata et id fiat cum debita licentia Superioris (a), secus si ludi sint prohibiti, aut quantitas sit immoderata, aut id fiat sine facultate superioris (b); ita (docent)... quia ex una parte (a) Superiores Regularium sunt quasi absoluti admnistratores bonorum Religionis ad ea expendenda in quoscumque usus licitos, ac honestos, inter quos utique computatur aliqua honesta ludi recreatio: adeoque poterunt et ipsi concedere talem facultatem suis subditis, et hi poterunt illa uti; ex alia parte (b)... Quamquam non sit opus, quod talis licentia sit expressa; sufficit enim ut sit tacita; qualem haberet Religiosus, cui a Superiore concederetur aliquod peculium (tunc temporis; nostris vero temporibus illa parva pecuniae quantitas iuxta dicta *supra*) insummandum in quoscumque usus; quod tamen debere intelligi de usibus licitis, et honestis notant aliqui DD... ea ratione ducti quod « in generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus (Reg. 81, R. J., in VI) ».

[30] Cfr. Pellizzarius, op. et loc. cit., n. 16 *in fine*.

« Totocalcio » consistit. Facilem tamen responsionem habemus; homines enim ita sunt, ut alii aliis delectentur rebus: Sempronius quidem in musica audienda, in qua Caius rotundo oscitaret ore; Titius in legendo, in quo Maevius multum taederet, etc. Non est ergo *a priori* escludendum *posse* quemquam animi oblectationem habere « Totocalcio » ludendo; *de facto* autem habere constat multos, illos praesertim qui schedulam adnotant aliis adiuvantibus vel contradicentibus.

P. Emmanuel Canzoneri O. P.

JUS ECCLESIASTICUM

REPUBBLICA DOMENICANA

INTER SANCTAM SEDEM ET REMPUBLICAM DOMINICIANAM

SOLLEMNES CONVENTIONES

CONCORDATO
FRA LA
SANTA SEDE
E LA
REPUBBLICA DOMENICANA

In nome
della Santissima Trinità

La Santa Sede Apostolica e la Repubblica Dominicana, animate dal desiderio di assicurare una feconda collaborazione per il maggior bene della vita religiosa e civile della Nazione Dominicana, hanno determinato di stipulare un Concordato che costituisca la norma che deve regolare le reciproche relazioni delle Alte Parti contraenti, in conformità con la Legge di Dio e la tradizione cattolica della Repubblica Dominicana.

A tal fine Sua Santità il Sommo Pontefice Pio XII ha nominato Suo Plenipotenziario:

Sua Eccellenza Reverendissima Monsignor Domenico Tardini, Pro-Segretario di Stato per gli Affari Ecclesiastici Straordinari,

e Sua Eccellenza il Signor Presidente della Repubblica Dominicana ha nominato Suo Plenipotenziario:

Sua Eccellenza il Generalissimo Dott. Rafael Leonidas Trujillo Molina.

CONCORDATO
ENTRE LA
SANTA SEDE
Y LA
REPÚBLICA DOMINICANA

En el nombre
de la Santísima Trinidad

La Santa Sede Apostólica y la República Dominicana, animadas del deseo de asegurar una fecunda colaboración para el mayor bien de la vida religiosa y civil de la Nación Dominicana, han determinado estipular un Concordato que constituya la norma que ha de regular las recíprocas relaciones de las Altas Partes contratantes, en conformidad con la Ley de Dios y la tradición católica de la República Dominicana.

A este fin Su Santidad el Sumo Pontifíce Pio XII ha nombrado por su Plenipotenciario a:

Su Excelencia Reverendísima Monseñor Domenico Tardini, Pro Secretario de Estado para los Asuntos Eclesiásticos Extraordinarios,

y Su Excelencia el Presidente de la República Dominicana ha nombrado por su Plenipotenciario a:

Su Excelencia el Generalísimo Dr. Rafael Leonidas Trujillo Molina.

Entrambi i Plenipotenziari, confrontati i rispettivi Pieni Poteri e trovatili in buona e dovuta forma, hanno convenuto negli articoli seguenti:

Articolo I

La Religione Cattolica, Apostolica, Romana continua ad essere la Religione della Nazione Dominicana e godrà dei diritti e delle prerogative che le spettano in conformità con la Legge Divina e il Diritto Canonico.

Articolo II

1. Lo Stato Dominicano riconosce la personalità giuridica internazionale della Santa Sede e dello Stato della Città del Vaticano.

2. Per mantenere, nella forma tradizionale, le amichevoli relazioni tra la Santa Sede e lo Stato Dominicano, continueranno ad essere accreditati un Ambasciatore della Repubblica Dominicana presso la Santa Sede ed un Nunzio Apostolico in Ciudad Trujillo. Questi sarà il Decano del Corpo Diplomatico, secondo i termini del diritto consuetudinario.

Articolo III

1. Lo Stato Dominicano riconosce alla Chiesa Cattolica il carattere di società perfetta e le garantisce il libero e pieno esercizio del suo potere spirituale e

Ambos Plenipotenciarios, después de confrontar sus respectivos Plenos Poderes y hallarlos en debida forma expedidos, acordaron lo siguiente:

Artículo I

La Religión Católica, Apostólica, Romana sigue siendo la de la Nación Dominicana y gozará de los derechos y de las prerrogativas que le corresponden en conformidad con la Ley Divina y el Derecho Canónico.

Artículo II

1. El Estado Dominicano reconoce la personalidad jurídica internacional de la Santa Sede y del Estado de la Ciudad del Vaticano.

2. Para mantener, en la forma tradicional, las relaciones amistosas entre la Santa Sede y el Estado Dominicano, continuarán acreditados un Embajador de la República Dominicana cerca de la Santa Sede y un Nuncio Apostólico en Ciudad Trujillo. Este será el decano del Cuerpo Diplomático, en los términos del derecho consuetudinario.

Artículo III

1. El Estado Dominicano reconoce a la Iglesia Católica el carácter de sociedad perfecta y le garantiza el libre y pleno ejercicio de su poder espiritual y de

della sua giurisdizione, nonchè il libero e pubblico esercizio del culto.

2. In particolare la Santa Sede potrà, senza impedimenti, emanare e pubblicare nella Repubblica Dominicana qualsiasi disposizione relativa al governo della Chiesa e comunicare con i Prelati, il clero e i fedeli del Paese, come questi lo potranno con la Santa Sede.

Delle stesse facoltà godranno gli Ordinari e le altre Autorità ecclesiastiche nei riguardi del loro clero e dei loro fedeli.

Articolo IV

1. Lo Stato Dominicano riconosce la personalità giuridica a tutte le istituzioni ed associazioni religiose, esistenti nella Repubblica Dominicana all'entrata in vigore del presente Concordato, costituite secondo il Diritto Canonico; in particolare alle Diocesi e alla Prelatura *nullius* con le istituzioni annesse, alle Parrocchie, agli Ordini e Congregazioni religiose, alle Società di vita comune e agli Istituti secolari di perfezione cristiana canonicamente riconosciuti, siano di diritto pontificio o diocesano, alle loro province ed alle loro case.

Le competenti Autorità ecclesiastiche comunicheranno al corrispondente dicastero governativo l'elenco delle istituzioni ed as-

su jurisdicción, así como el libre y público ejercicio del culto.

2. En particular, la Santa Sede podrá sin impedimento promulgar y publicar en la República Dominicana cualquier disposición relativa al gobierno de la Iglesia y comunicarse con los Prelados, el clero y los fieles del País, de la misma manera que éstos podrán hacerlo con la Santa Sede.

Gozarán de las mismas facultades los Ordinarios y las otras Autoridades eclesiásticas en lo referente a su clero y fieles.

Artículo IV

1. El Estado Dominicano reconoce la personalidad jurídica a todas las instituciones y asociaciones religiosas, existentes en la República Dominicana a la entrada en vigor del presente Concordato, constituidas según el Derecho Canónico; en particular a las Diócesis y a la Prelatura *nullius* con sus instituciones anejas, a las Parroquias, a las Ordenes y Congregaciones religiosas, a las Sociedades de vida común y a los Institutos seculares de perfección cristiana canónicamente reconocidos, sean de derecho pontificio o de derecho diocesano, a sus provincias y a sus casas.

Las Autoridades eclesiásticas competentes comunicarán al departamento correspondiente del Gobierno Dominicano la lista de

sociazioni religiose su menzionate, entro i due mesi dalla ratifica del presente Concordato.

2. Di uguale riconoscimento godranno gli enti della natura su indicata, che verranno ulteriormente eretti o approvati nella Repubblica Dominicana dalle competenti Autorità ecclesiastiche, alla sola condizione che il decreto di erezione o di approvazione sia ufficialmente comunicato per iscritto alle competenti Autorità dello Stato.

Articolo V

1. Quando la Santa Sede proceda alla nomina di un Arcivescovo o Vescovo residenziale o di un loro Coadiutore con diritto di successione, comunicherà al Governo Dominicano il nome della persona prescelta, per sapere se vi siano contro di essa obbiezioni di carattere politico generale. Il silenzio del Governo, trascorsi trenta giorni dalla suddetta comunicazione, sarà interpretato nel senso che non esistono obbiezioni. Tutte queste pratiche si svolgeranno nel più assoluto segreto.

2. Nel procedere alla designazione dell'Arcivescovo o dei Vescovi il Santo Padre prenderà in considerazione i sacerdoti, idonei per questi uffici, che abbiano la cittadinanza dominicana. Tuttavia, il Santo Padre

las instituciones y asociaciones religiosas que se acaban de mencionar, dentro de los dos meses que sigan a la ratificación de este Concordato.

2. Gozarán de igual reconocimiento las entidades de la misma naturaleza que sean ulteriormente erigidas o aprobadas en la República Dominicana por las Autoridades eclesiásticas competentes, con la sola condición de que el decreto de erección o de aprobación sea comunicado oficialmente por escrito a las Autoridades competentes del Estado.

Artículo V

1. Cuando la Santa Sede proceda al nombrimiento de un Arzobispo u Obispo residencial o su Coadjutor con derecho a sucesión, comunicará al Gobierno Dominicano el nombre de la persona escogida, a fin de saber si contra ella existen objeciones de carácter político general. El silencio del Gobierno, pasados treinta días a contar de la precitada comunicación, se interpretará en el sentido de que no existe objeción. Todas estas gestiones se conducirán en el más estricto secreto.

2. Al hacer las designaciones de Arzobispo y Obispos, el Santo Padre tendrá en cuenta a los sacerdotes, idóneos para estas funciones, que sean ciudadanos dominicanos. Sin embargo, el Santo Padre podrá, cuando lo juz-

potrà, quando lo giudichi necessario e conveniente per il maggior bene religioso del Paese, a motivo della scarsità di sacerdoti dominicani, scegliere per tali dignità altri sacerdoti, che non abbiano la cittadinanza dominicana.

Articolo VI

1. L'organizzazione e circoscrizione ecclesiastica del territorio della Repubblica Dominicana rimane fissata nel modo seguente: Archidiocesi Metropolitana di Santo Domingo; Diocesi di Santiago de los Caballeros; Diocesi di La Vega; Prelatura *nullius* di San Giovanni della Maguana.

2. Per l'erezione di una nuova Diocesi o Prelatura *nullius* e per altri mutamenti di circoscrizioni diocesane che si giudicassero necessari, la Santa Sede si metterà previamente d'accordo con il Governo Dominicano, salvo che si tratti di minime rettifiche territoriali richieste dal bene delle anime.

Articolo VII

1. Il Governo Dominicano si impegna a costruire la Chiesa Cattedrale o Prelatizia e gli edifici convenienti per residenza del Vescovo o del Prelato *nullius* e per gli uffici della Curia, nelle Diocesi e nella Prelatura *nullius* già esistenti che ne abbisognino,

gue necesario y conveniente para el mayor bien religioso del País, por razón de la escasez de sacerdotes dominicanos, elegir para tal dignidad otros sacerdotes, que no sean de nacionalidad dominicana.

Artículo VI

1. La organización y circunscripción eclesiástica del territorio de la República Dominicana queda constituida así: Arquidiócesis Metropolitana de Santo Domingo; Diócesis de Santiago de los Caballeros; Diócesis de La Vega; Prelatura *nullius* de San Juan de la Maguana.

2. Para la erección de una nueva Diócesis o Prelatura *nullius* y para otros cambios de circunscripciones diocesanas que pudieran juzgarse necesarias, la Santa Sede se pondrá previamente de acuerdo con el Gobierno Dominicano, salvo si se tratase de mínimas rectificaciones de territorio reclamadas por el bien de las almas.

Artículo VII

1. El Gobierno Dominicano se compromete a construir la Iglesia Catedral o Prelaticia y los edificios adecuados que sirvan de habitación del Obispo o Prelado *nullius* y de oficinas de la Curia, en las Diócesis y Prelatura *nullius* actualmente existen-

e in quelle che si erigessero in futuro.

2. Inoltre il Governo assicura all'Archidiocesi di Santo Domingo e a ciascuna Diocesi o Prelatura *nullius*, ora esistenti o che siano erette in futuro, un contributo mensile per le spese di amministrazione e per le chiese povere.

Articolo VIII

All'Arcivescovo di Santo Domingo compete il titolo di Primate delle Indie, concesso dal Sommo Pontefice Pio VII con la Bolla *Divinis praeceptis* del 28 novembre 1816.

Sono confermati alla Chiesa Metropolitana di Santo Domingo il titolo, i diritti e i privilegi di Basilica Minore, ad essa accordati dal Sommo Pontefice Benedetto XV con il Breve *Inter Americae* del 14 giugno 1920.

Articolo IX

1. L'erezione, modificazioni o soppressione di parrocchie. benefici ed uffici ecclesiastici, come anche la nomina del Vicario Generale, degli officiali della Curia, dei parroci e di ogni altro sacerdote o funzionario incaricato di uffici ecclesiastici, saranno fatte dalle competenti Autorità ecclesiastiche, attenendosi alle disposizioni del Diritto Canonico. Tuttavia le rispettive Autorità ecclesiastiche comunicheranno al Governo, con la mag-

tes que lo necesiten, y en las que se establezcan en el futuro.

2. Además el Gobierno asegura a la Arquidiócesis de Santo Domingo y a cada Diócesis o Prelatura *nullius* actualmente existentes o que se erijan en el futuro una subvención mensual para los gastos de administración y para las iglesias pobres.

Artículo VIII

Al Arzobispo de Santo Domingo corresponde el título de Primado de Indias de acuerdo con la Bula de Pío VII *Divinis praeceptis* del 28 de noviembre de 1816.

Se confirman a la Iglesia Metropolitana de Santo Domingo el título, los derechos y privilegios de Basílica Menor, que le otorgó Benedicto XV en su Breve *Inter Americae* del 14 de junio de 1920.

Artículo IX

1. La erección, modificación o supresión de parroquias, beneficios y oficios eclesiásticos, así como el nombramiento del Vicario General, oficiales de la Curia, párrocos y todo sacerdote o funcionario encargado de cual quier oficio eclesiástico serán hechos por las Autoridades eclesiásticas competentes, ciñéndose a las disposiciones del Derecho Canónico. Sin embargo las Autoridades eclesiásticas correspondientes comunicarán al Go-

giore sollecitudine, la nomina del Vicario Generale, dei parroci, e, in caso di vacanza di una parrocchia, del vicario incaricato della medesima. Nel procedere a queste designazioni, le Autorità ecclesiastiche daranno la preferenza, in quanto possibile, a sacerdoti idonei che abbiano la cittadinanza dominicana.

2. Le eventuali obbiezioni del Governo alla condotta di un funzionario ecclesiastico formeranno oggetto di considerazione e di decisione da parte delle Autorità ecclesiastiche competenti.

bierno con la mayor rapidez el nombramiento del Vicario General, de los párrocos y, en caso de vacancia de una parroquia, del vicario encargado de la misma. Al hacer estas designaciones, las Autoridades eclesiásticas preferirán, a ser posible, a sacerdotes idóneos que sean ciudadanos dominicanos.

2. La eventual objeción del Gobierno al comportamiento de un funcionario eclesiástico será objeto de consideración y decisión por las Autoridades eclesiásticas competentes.

Articolo X

